Krolikowski Kaz

JUDAISMUS CONVICTUS

seù

DEMONSTRATIO EVIDENTISSIMA
Legem Veterem cessasse,
Promissum MESSIAM advenisse,
Eumq; esse
JESUM CHRISTUM
invictis argumētis è Vaticiniis antiqui Testamēti
DEDUCTA,
brevi, ac dilucida Methodo
EXPLANATA,
Atq; occasione Manifestationis coram Officio
ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
Ac REVERENDISSIMI DOMINI
D. NICOLAI
à Dębowa Gora
DĘBOWSKI
EPISCOPI CAMENECENSIS,
Annô elapsô 1756. *à Judæis factæ*
Publicæ Luci
DATA

Authore Fratre Casimiro Puteano S. Th: Lectore
Conventus Varsaviensis Provinciæ Poloniæ
Ordinis Prædicatorum Alumnô.

Annô ab Adventu Veri MESSIÆ
JESU CHRISTI
1757.

VARSAVIÆ.
Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio
Scholarum Piarum.

JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO

Ac REVERENDISSIMO DOMINO

D. NICOLAO
à Dębowa Gora
DĘBOWSKI
Episcopo Camenecensi

Mecænati Gratiosissimo.

P*Arvum istud contra Judæos opus Magno TUO Nomini nuncupare cogitavi, quòd probè sciam, summam erga omnes affabilitatem, pari cum fidei propagandæ zelo TUO certare in animo. JL-*

LUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE PRÆSUL & MECÆNAS FAVENTISSIME.

Non diffido meum huncce libellum Gratiam TUIS *in oculis reperturum, qui amplam Mentem* TUAM *inter gravissima licet Reipublicæ negotia jugi Sacrarum litterarum lectione pascere, & relevare assoles, earumq; indefesso studio tam locupletem Sacræ Antiquitatis notitiam comparasti, ut quæcunq; hac in materia lucubrationes evulgandæ sunt, ad* TE, *ceu perspectum, limatiq; ingenij Judicem meritò devolvi debeant. Et planè* DEO *ipso disponente factum est, quod fidei Christianæ causa contra perfidiam Judaicam, non alibi, quam* TUUM *ad Judicium devoluta sit, cum etenim* DEUS O. M. *& zelo defendendæ fidei, & veræ Theologiæ comprehensione* TU-

UM

UM imbuerit animum, ad TE ſuam hanc ad convincendos hebræos cauſam referri deſtinavit. TUUM ea propter hic PRÆSUL SAPIENTISSIME æquitatis Tribunal appello; conſpice Poloniam tanta Judæorum colluvie quaquaverſus refertam, ut nos numero ſi non ſuperare, utiq; æquare videantur. Compendiosâ meditatione perpende, quot in dies ex ijs animæ veluti conglomerato agmine in averna deſcendant? & nemo eſt, qui Fraternæ Charitatis viſceribus motus, manum pereuntibus porrigat, cum interea alij profanis hiſtoriolis mentem ſatiare primæ ſibi gloriæ ducant; alij ſiccis, inutilibus, vanisquè quæſtionibus ſua, aliorumq; ingenia onerent, alij demùm unicis Geometriæ, ac Mathematicæ experimentis ſupra modum delectentur. Non, ut hujusmodi artibus odium aliquod conciliem,

aut

aut eas meo calculo reprobem, hæc dico, cum & ad humanæ mentis eruditionem, & ad alendam inter homines ſocietatem non parum conferant. Sed ijs diſciplinis ita indulgendum eſſe cenſeo, ne Magiſtram omnium Theologiam reliquiſſe videamur. Jllæ delectabiles quidem ſunt, hæc omnino neceſſaria. Hinc S. Auguſtinus lib: de util: cred: cap: 11. Intelligere (*inquit:*) ſuperflua nihil nocet, ſed fortaſſe diſcere nocuit, quum tempus neceſſariorum occuparent.. *Ante omnia, clamat Evangelium*: quærendum eſt Regnum Dei, *inveſtiganda earum veritatum cognitio, quæ Nos, & alios ad verum* DEI *cultum, & amorem ducant, ſicq; aptiſſimos ad regnandum cum* DEO *efficiant. Hic ſcopus, hic finis ſtudiis Noſtris ab ipſo* DEO, *& natura præfixus eſt. Non eos quippè, qui de maris æſtu, de planetarum curſu, de*

Coper-

Copernicano, aut alio Siſtemate plurima ad nauſeam usq́ ventilant, ſæpiùsq́ refricant, ſed qui ad Juſtitiam erud.unt multos, *ſtellarum fulgore emicaturos Scriptura promittit. Ignoſce PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quòd Glorioſo TUO Nomine ad neceſſariæ, veræq́ ſapientiæ ſtudium pleroſq́ coætaneos provocem, & adhorter; etenim inter perfidiam Judæorum, & pervicaciam hæreticorum collotenùs verſamur; quorum uni Præceptore, & Duce indigent, alij Catholicarum veritatum Defenſorem ſtrenuum ultro exigunt.* Primis *ſatisfactum iri arbitror, dum* P*aſtorali TUA ſollicitudine, quâ emines, promovente per Diæceſes,* & P*arochias in manus tùm Cleri, cùm etiam peritorum latinæ lingvæ ſæcularium opuſculum hoc pervenerit; facili quippè negotio exiguum Opus manibus omnium teri, & portari, brevi*

tempo-

temporis ſpatio perlegi, eoq́ mens cujuslibet imbui, dataq́ occaſione huic, vel illi Judæo dilucidè exponi poterit; ſicq́ DEO interius operante futurum fore in Domino confido, ut una, & altera anima erroris ſui conſcia gregi, & ovili Chriſti aggregetur, Angelis in Cælo gaudium obveniat, Catholicus verò in ſoliditate ſuæ Fidei magis magisq́ firmetur. Hoc in ſcribendi genere eximiam ſibi laudem comparārunt Reverendiſſimus ac Jlluſtriſſimus Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis in ſua Demonſtratione Evangelica; Raymundus Martini Ordinis Prædicatorum in Pugione Fidei, & Ignatius Hyacinthus Graveſon Ejusdem Ordinis; *Alijq́ Viri Doctiſſimi, è quorum Archivis ea, quæ nervoſiùs, ac ſolidiùs hebræos convincere poſſunt, plurimis etiam, quæ Venetiis agens in ſtudio Ordinis conſcripſeram, additis,*

in

in brevem methodum, facilemq; bono ordine redegi; quò cuilibet ingentia Opera ad manum habere minimè valenti consultum foret.

Hic præclarissimas animi TUI PRÆSUL JLLUSTRISSIME dotes, & magna in Ecclesiam, ac Rempublicam tùm TUA, quùm JLLUSTRISSIMI EPISCOPI CUIAVIENSIS Germani TUI, totq; DOMUS TUÆ JLLUSTRISSIMÆ HEROUM, PATRUM, ac DEFENSORUM PATRIÆ merita enarrarem; nisi tanta rectegestorum moles, exilem meam supprimeret facundiam, & ego solus ea merita condignis encomiis celebrare impar sim; quæ totus Polonus Orbis debito tantum veneratur cultu, sufficienti verò laude nequit assequi, extollere, celebrare. TUUS pro Christiana causa contra perfidiam Judaicam indefessus zelus,

inter

inter innumeras Virtutes alias summi TIBI semper Elogij futurus est.

Nunc tantùm DEUM *Bonorum omnium largitorem precor, ut JLLUSTRISSIMAM, ac EXCELLENTISSIMAM DOMINATIONEM TUAM in plurimos annos incolumem Ecclesiæ Polonæ, litteris, & Reipublicæ servet, supernæque benedictionis fluentis opimis repleat. TU autē PRÆSUL JLLUSTRISSIME æqui boniq; consulas istud qualecunque obsequij mei, & propensi animi monumentum, quod TUOS sub pedes, TUAM sub Pastoralem protectionem humilitèr colloco*

Jllustrissimæ, Excellentissimæ,
ac Reverendissimæ Dominationis
Tuæ.

infimus Servus
Fr. Casimirus Puteanus
Ordinis Prædicatorum.
mpp.

FACULTAS ORDINIS.

Frater THOMAS KROLIKOWSKI S. Th: Mgr Prior Provincialis Provinciæ Poloniæ S. O. Prædicatorum.

HArum serie, Nostriq; Authoritate Officij Tibi Rndo P. Lri Fri Casimiro Putean Damus, Concedimusq; licentiam, Datamq;, & Concessam esse Decernimus, & Declaramus imprimendi libellum cum titulo : Judaismus Convictus *labore tuo ad convertendos Judæos, & conversos confirmandos conscriptum; dummodo eundem prius viderint ac legerint A. R. P. Mgr Fr. Symphorianus Poninski, & R. A. P. Præsentatus studij Nostri Generalis Varsavien: Regens Fr. Bruno Bogatko, illumq; publicæ utilitati dignum esse censuerint, ac judicaverint. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen. Quibuscunq;* &c: *In quorum fidem* &c: *Dedimus in Conventu Nostro Cracov: Die 26. Febr:* 1756.

(L.S.) *Conservus in Dno* Fr. Thomas Krolikowski Mgr Provincialis. *mpp.*

Rga. Pga. 467.
Fr. Thomas Uzdowski Lr Prior Elbingen: & Socius. *mpp.*

CENSURA THEOLOGORUM.

EX commissione A. R. P. S. Th: Magistri Thomæ Krolikowski *Provincialis Provinciæ Nostræ Poloniæ perlegi libellum* à R. P. Lre Casimiro Puteano *compilatum*, *cui titulus:* Judaismus Convictus, *in quo, cùm nihil fidei Catholicæ adversum, verùm bene ordinatam*, & *efficacem convincendi Judaismi Methodum invenerim; dictum libellum, uti animarum lucro serviturum luce publica dignum fore judico. Datum in Conventu Varsavien: Die* 1. *Decembris.* 1756.

Fr.Symphorianus Poniński S.T.Doctor Vicarius Conventus Varf: S.Hyacinthi O.Præd: *mpp.*

LIbellum, cui titulus: Judaismus Convictus *à R.* P. L. Casimiro Puteano *conscriptum, præhabitâ licentiâ A. R. P. Magistri Provincialis* Thomæ Krolikowski *legendum*, *trutinandumq; suscepi*, *in quo nihil prorsùs reperi, quod Fidei Dogmatibus dissonum sit*, *sed potiùs*, *quod Judæos de sua perfidia mirificè convincere, eosq; ad agnitionem Veri* Messiæ JESU Christi *adducere potest; adeoq; præfatum libellum ob suam utilitatem typis mandandum esse censeo. Datum in Conventu Varsav: Die* 1. *Decembris.* 1756.

Fr.Bruno Bogatko S.T.Præsentatus Regens studij Generalis Varsaviensis Ord: Præd: ad S. Hyacinthum. *mpp.*

LICENTIA LOCI ORDINARII.

Imprimatur

CAROLUS FRIDERICUS KRENI U. J. D. Canonicus Cathedralis Plocensis, & Varsaviensis, ac Judex Surrogatus.

mpp.

BENEVOLE LECTOR.

HUmanitèr Te rogo, quo meis acquiescas consiliis, nempè: si optatum ex lectione libelli hujus fructum capere desideras non unum, aut aliud caput; non, unum, aut alium titulum perfunctoriè legas: sed à capite libelli incipiendo consequentèr unam post aliam tractationem patientèr, & seriò perpendere digneris, posteriorum enim intelligentia à priorum notitia pendet, & quasi catenatim se se seqvuntur. Duos etiam capitales, qui typo irrepserunt errores hic detectos advertas: 1mus habetur pag: 17. vers: 22. ubi pro verbis illis: *sed quomodo poterat David, aut Abraham dicere alicui: Tu es Sacerdos &c:* pro verbis illis (inquam:) lege: *Sed quomodo Dominus, seu Deus dicere poterat Davidi, aut Abrahamo: Tu es Sacerdos &c:* 2dus habetur pag: 24. vers: 21. ubi post hæc verba: *Terra, quam tu detestaris:* pro verbis: *non eadem verba repetit:* Lege: *nam eadem verba repetit.* Cæteros errores minores correctos invenies in fine Operis. Vale.

PROLO-

PROLOGUS

In quo nomen & character Messiæ exponitur; undequè vera ejus notitia desumenda sit, & quâ Methodo investiganda ? ostenditur.

M*Essias vox hebraica, idem prorsus sonat quod græca vox* Christus, *at Christus latinè redditur:* Unctus. *Cum autem Reges nonnisi & Sacerdotes ungi moris sit, ac fuerit, quos etiam simul Prophetas esse nihil prohibet; uti Davidem Regem simul & Prophetam; Samuelem Sacerdotem simul, & Prophetam; hinc nomine Messiæ Judæi eum intelligi & significari volunt; qui simul Rex, Sacerdos, & Propheta, inter omnes Electus, magno in terris muneri obeundo à Deo destinatus sit tanquam liberator, Salvator, & summa totius mundi expectatio. Cui proindè Judæi*

omnem promptamque cùm obedientiam, tùm fidem uti vero Dei nuncio & Electo pollicentur.

Perpetuam inter Judæos de hoc venturo Meſſia *traditionem viguiſſe manifeſta omnium tam antiquorum, quam modernorum hebræorum confeſſione certiſſimum eſt. Unde hanc, quæſo, adeò communem unoquè omnium ore vulgatam de venturo Meſſia Traditionem didicere Judæi? niſi ab illis generis ſui Viris, qui Divino afflati ſpiritu crebra, & illuſtria de Meſſiæ adventu fuderunt oracula? Neminem autem Divino imbutum, aut inſpiratum Flamine, tota eorum retro antiquitas memorat, aut reminiſcitur, præter Patriarchas, & Prophetas aliosque Sacros Authores, quorum ſingula alicuius momenti tùm geſta cùm dicta, & fuſa vaticinia in Canonicos Veteris Teſtamenti libros ad amuſſim congeſta, & fideliter relata ſunt à viris itidem Dei Spiritu directis & ſuffultis. Non aliundè igitur, quam ex ijs ipſis Canonicis hebræorum voluminibus veram, certamque notitiam, & quandam quaſi effigiem, ac imaginem venturi* Meſſiæ *haurire, & derivare ulli aut licet, aut ſuppetit. In hoc totam Judæorum gentem mihi aſſentiri facile crediderim.*

Quocirca Judæum quemlibet etiam atquè etiam rogo, velit mecum abjecta omni ſiniſtra mentis præoccupatione ſuos, ſuorumquè Canonicos libros à capite ad calcem usquè luſtrare, ac perſcrutari, ut veram venturi Meſſiæ *notitiam, atquè ideam tam ego, quam ipſe conſequi valeamus. Si etenim per integrum vetus Teſtamentum obvias omnes & perſpicuas de* Meſſiæ *prædictiones luſtraverimus, nec*

ego Judæo, nec Judæus mihi obtrudere, fucumquè facere poterit, alia superesse vaticinia, quæ Messiam venturum aliter depingant, vel prænuncient.

Ut autem æquo jure procedamus in signandis, & explicandis de Messia *Scripturæ Sacræ locis, textum textui conferemus, locumquè unum, altero simili metiemur, & illustrabimus; insuper veterum ac doctorum Rabbinorum, hebraicorumquè monumentorum super ea re judicium consulemus; quo facilius etiam antiquam assequi possimus Traditionem, quibus nempè Scripturæ locis venturum* Messiam *prædici & indicari, apud antiquos Hebræos in confesso erat.*

Divinâ prælucente gratiâ à primo Canonico libro, nempè à Genesi rem ordiemur per ordinem cæteros omnes lustrari. Opusculum nostrum in duas Partes dividemus. In prima Parte. *Totius Veteris Testamenti vaticinia, quæ* de Messia *prolata sunt, investigabimus, ac perpendemus.* In secunda Parte *autem ostendemus, in quo omnia hæc vaticinia completa sunt, quiquè proinde verus* Messias *esse debet.*

PARS PRIMA
OPERIS.

Per Titulos & Nomina tùm Librorum, cùm Prophetarum, quàm etiam per numeros.

DISPOSITA.

In qua Vaticinia totius Veteris Testamenti de venturo Messia per ordinem referuntur, singula eorum aliis consimilibus illustrantur, veterumquè Rabbinorum Traditione roborantur.

Num: I. PRiùsquam Scripturæ Sacræ Textus in medium proferamus Lectorem admonitum esse velim, Sacros Veteris Testamenti Authores quandoquè in propria persona loqui, sæpissimè etiam in aliena; quod ex eo dignosci facilè potest, dum sensus verborum in Personam dicentis competere nequit: exempli gratiâ: Psalmo 2do David ait: *Dominus dixit*

ad

ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possèssionem tuam terminos terræ, cùm ea verba in Personam dicentis Davidis nullo modo quadrent, signum est, Davidem hic in Persona aliena sermonem facere, nempè in Persona *Messiæ.*

Contingit etiam sæpiùs Sacros Authores, dum vel de se, vel de aliquo alio in certa causa fantur, interea interlocutionem *de Messia* miscere, uti in Psalmo 71. David Deum pro se, & Filio suo obsecrat. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis*, & statim vaticinium de *Messia* miscet dicendo: *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram &c.* Ratio hujus interlocutionis est, quia repentè Dei Spiritu mens dicentis interius agitatur & impellitur; ut suo sermoni repentinos Dei instinctus & prædictiones misceat, & pandat. Et hoc est signum veri Prophetæ, qui non humana Methodo & communi ordine rem prosequitur, quia ut ait Scriptura. *irruit in eum Spiritus Sanctus*, plurima hujusmodi exempla in Prophetarum libris extant.

Hoc prænotato ad Scripturam Sacram accedamus, Promissionem Venturi *Messiæ* recto ordine indagaturi, juremerito ab Abrahamo credentium Patre intentum auspicabimur.

GENESIS.

Hic Messias promittitur ex semine Abrahami,

brahami, Isaaci, & Jacobi oriundus, futurusq; benedictio, & expectatio gentium.

Num: II. QUamvis statim post lapsũ in peccatũ, Adamo & Evæ Salvator & liberator, promissus fuerit, qui nempè ex muliere oriundus antiqui serpentis authoris peccati *caput contereret.* Gen: cap: 3. atq; hæc de venturo *Messia* seu liberatore Traditio animis veterum Patrum altè inhæserit; Abrahamus tamen primus fuit è cujus lumbis eum liberatorem seu *Messiam* proditurum Deus aperte declaravit. Gen: cap: 22. *benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Isaaco Filio Abrahami eandem promissionem Deus renovavit. Gen: cap: 26. *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quod ibidem confirmavit, Jacobo Filio Isaiaci dicens Gen: cap: 28. *benedicentnr in te, & in semine tuo omnes tribus terræ*, qui textus cum non possint intelligi de progenie universali Abrahami, Isaaci, & Jacob, nempè: de gente Judaica, utpote à qua gentes nullam benedictionem expertæ, sed in antiqua lege continuis insidiis, modo autem quotidianis maledictionibus afficiuntur: igitur aliquis unus de semine & progenie Abrahami, Isaac, & Jacobi oriturus est, in quo Dei benedictionem consecuturæ sunt omnes gentes terræ, id est: totus mundus. Quis quæso hujusmodi esse poterit nisi solus *Messias ?* consentiunt in eo antiqui Judæi, ut apparet *ex libro Chasidim R. Samuëlis*, ubi

ubi promiſſio hæc implenda dicitur, cùm Meſſiæ temporibus boni erunt Abrahami poſteri. Eandem pollicitationem ijsdem verbis repetiit Deus apud Davidem Pſ: 71. *benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*, quem Pſalmum ad *Meſſiam* pertinere conſtans eſt Judæorum conſenſus, prout videbimus dum ad eum Pſalmum explanandum perveniemus. Hæc etiam erat, atquè adhuc eſt, certiſſima Judæorum ſpes, fore nempè, ut ſui generis ac ſangvinis *Meſſias* ſit, non aliis ſane quam mox adductis ex Geneſi ſubnixa teſtimoniis. Roborat hanc veritatem relati Patriarchæ Jacobi aliud vaticinium Gen: cap: 49. ubi benedicens Judæ Filio ſuo ait: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, Nota bene: *Expectatio gentium*, hoc vaticinium vetuſtiores Judæi, Chaldæi, Paraphraſtes, & Thalmudiſtæ, R. Selemoh, & R. David Kimchi, ſine hæſitatione ad *Meſſiam* refferunt: ſicut & aliud vaticinium ſimile, nempe: Aggæi cap: 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus*, in quo, rogo nunc Judæos, benedicendæ ſunt omnes gentes? niſi in illo eodem, qui erit *expectatio gentium*, & *deſideratus cunctis gentibus?* qui cum *Meſſias* ſit juxta mox citatos antiquos hebræos, igitur niſi cæcus non videat factam eſſe Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo appromiſſionem de venturo Meſſia ex eorum ſemine orituro in relatis textibus, nempe in quibus dicebatur: *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Ex ſemine igi-

tur Abrahami, Isaaci, & Jacobi proditurus est Messias, & ipse non Judæorum tantùm, sed vel maximè Gentium benedictio erit.

DEUTERONOMIUM.

In hoc libro Messias promittitur futurus ita Magnus Propheta, sicut Moyses qui fuit Legislator.

Num: III. POst Genesim non legitur obvia aliqua de *Messia* prædictio usq; in Deuteronomio, ubi cap: 18. Moses vaticinatur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies.* Nb. *sicut me* Moysem, quod vaticinium licet quidam hebræorum de Josùé, vel aliis interpretentur, cùm tamen ex ultimo cap: Deut: constet, & *non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses*, nempe similis ei, uti Legislatori, & mirandorum patratori, sicut etiam fatetur doctissimus R. Maimonides in lib: de fundam: legis: idcirco necesse est hic prædictum esse *Messiam* qui solus similis Propheta, & Legislator, ac mirandorum patrator futurus est, sicut fuit Moyses.

JOB. 1mus, & 2dus REGUM.

Messias dicitur Deus assumpturus carnem, & Rex ex Stirpe Davidis, ejusque regnum fore sempiternum.

IV. IN libro Job, qui fuit Mosi coætaneus, hæc de Messia habentur. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*, ex his *Messiam* carnem assumpturum, & mortuos suscitaturum esse aperte docetur in Thargum, & in interpretatione Syriaca, & Arabica. Sic etiam intellexit R. Haccadosch in revelante arcana, ita etiam sumitur in Beresith Ketana, ex quo patet in prædicto textu hæc verba *in carne* non referenda esse ad *videbo* seu videntem Jobum, sed ad verba *Deum meum*; ut sensus sit Deum in carne nostra appariturum, & in ea carne eum existentem visum iri oculis corporeis à Jobo.

In libris successorum Mosis nempè: Josüé, Judicum, Ruth, & Regum non invenitur expressum *de Messia* vaticinium præter illud 1mi Regum cap: 2. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*, & 2di Regum cap: 7. ubi Deus promittit quædam Davidi, quædam filio ejus Salomoni, quædam vero *Messiæ*, *Messiæ* promittit, quod nec Davidi, nec Salomoni competere potest, nempe: *Stabiliam thronum regni ejus in sempiternum, ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, his similia Messiæ promissa in decursu operis pleniùs videbimus.

LIBER

LIBER PSALMORUM.

V. POst libros Regum nihil memorabile *de Meſſia* legitur usquè ad Pſalterium Davidis.

PSALMUS II.

Principes dicuntur conſurrecturi adverſus Meſſiam, ſeu Chriſtum Domini, qui prædicitur Dei Filius à Deo genitus, & poſſeſſurus terminos terræ.

DOminus dixit ad me: Filius meus es tu ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, verſu 2. *& principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus,* quæ ultima verba apprimè cohærent cum verbis Pſalmi 21. ubi Meſſias de ſe ait: *Circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.* Ecce quomodo principes populi adverſus *Meſſiam* inſurrecturi ſunt, & conſilium inituri, utiquè ad perdendum eum; nam contra eum. Verba vero. *Filius meus es tu ego hodie genui te.* Eadem videntur cum illis 2. Reg: 7. *Ego ero ei in Patrem & ipſe erit mihi in Filium.* Ei Domino, ſeu Filio Dei convenienter aſſignatur hæreditas maxima. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ,* quam nec David, nec Salomon unquam habuit, quocirca veteres

Rabbini

Rabbini ex antiqua traditione Psalmum hunc *de Messia* intellexerunt sic. R. Jonathan in Beresith Rabba. R. Aben Ezra. R. David Kimchi. Saadias Gaon in Danielem. R. Simeon in Jalcut & in Midrasch Thehillim, idem tradit R. Selemoh ipsa veritate coactus: *Majores nostri ad Regem Messiam psalmum hunc totum referebant, oportet tamen eum referre ad Davidem propter hæreticos,* (sic nominat Christianos:) Verba vero illa, in quibus Deus Messiæ dicit: *ego hodie genui te*, concordant mirificé cum illis Ps: 109. *ex utero ante Luciferum genui te*, & cum ijs Isaiæ cap: 53. *Generationem ejus quis enarrabit*, & cum illis Micheæ 5. cap: *egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, in quibus omnibus locis videbimus *Messiam* fuisse prædictum: quocirca concludendum est *Messiam* Dei Filium ex Deo ab æterno genitum esse. Verba vero hæc: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, optimè cohærent cum ijs Psalmi 71. *Dominabitur à mari usquè ad mare, & à flumine usquè ad terminos orbis terrarum*, quem Psalmum idcirco statim placet examinare.

PSALMUS LXXI.

Eadem promittuntur Messiæ quæ in Psalmo 2do.

VI. VErba ejus sunt. *Permanebit cum sole, & ante Lunam in generatione & generationem. Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut*

stilli-

stillicidia stillantia super terram. Orietur i n diebus ejus justitia, & abundantia pacis, Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usquè ad terminos orbis terrarum. Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, adorabunt eum omnes reges terræ. Ante solem permanet nomen ejus. Tam potentem, totiquè orbi dominantem adusquè terminos terræ Principem, nulla prorsus historia memorat, sed nequè memorare potest: quocirca soli *Messiæ qui possessionem suam terminos terræ*, habiturs Psalmo 2. dicebatur, convenire possunt promissa Psalmo hoc 71. Et sanè, de Deo etenim ipso in se accepto hic Davidem locutum fuisse minimè dici potest, cum de eo, qui tantus Rex futurus est præmittatur: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis*, ergo ejus dies prædicuntur futuri, Deus autem ab æterno semper est. Prædicitur etiam in futuro, *dominabitur à mari usquè ad mare.* Deus autem semper mari, & terræ dominatur, & dominatus est: idcirco cum psalmum *de Messia* dictum esse omnes ijdem Veteres Rabbini confitentur quos ad expositionem Psalmi 2di citavimus, verba hæc: *permanebit cum sole, & ante lunam, ante solem permanet nomen ejus* denotant *Messiam* ante solem, & Lunam fuisse, certe non alibi, quam apud Deum Patrem: quocirca ei Pater dicit Ps: 109. *ex utero ante Luciferum genui te*, & hoc indicant verba illa *descendet sicut pluvia super terrã.* Unde? nisi de Cælo à Patre descendet: igitur ex hoc

Psalmo

Psalmo eadem prorsus de Messia prædicta habemus, quæ in Psalmo 2. nempe: quod Filius Dei ex Deo genitus, & toti terrarum orbi dominaturus sit.

Quoniam hic Psalmus 71. cum Psalmo 2. magnam connexionem habet eum interrupto ordine hic retulimus, sed ad ordinem redeamus. Post Psalmum 2. inter alios nihil peculiare de Messia invenitur usque ad Psalmum 15tum.

PSALMUS XV.

VII. *PRovidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear, caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo delectationes in dextera tua usquè in finem*, hæc Davidem non in propria, sed in *Messiæ* persona dixisse ex eo constare debet, quod ejus, de quo hic sermo habetur, *caro* seu corpus *requiescet in spe*: & additur in quali spe? *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, id est: caro, seu corpus quod requiescit in spe incorruptionis, non corrumpetur; Davidis autem corpus more cæterorum corruptum fuit. Deindè quemnam David dicere poterat Sanctum tuum, seu Sanctum Dei? nisi qui à Daniele *Sanctus Sanctorum* appellatur; & cuinam *Delectationes ad dexteram Dei* appromittere poterat? quam cui Deus dixit Ps: 109. *Sede à dextris meis*, quocirca etiam Judæi

dæi in Midraſch Thehillim *Meſſiam* hic præſignatum fatentur, quibus aſſentitur Author *Nepheſc: abhachma* ſeu *animæ ſapientis*, Nb. Meſſiæ corpus non corruptum iri, adeoquè antequam ejus corpus corrumpatur, *Meſſiam* reſurrecturum.

PSALMUS XXI.

In hoc Pſalmo Meſſias pauper, & dolens deſcribitur, manus, & pedes ejus perforandæ, & ſimul additur pſalmus 68. ubi dicitur felle potandus.

VIII. *Circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me*, ſicut Pſ: 2. *principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus*, quem Pſalmum vidimus *de Meſſia* dictum: quo circa hic eadem de eodem dicuntur. Ulteriùs *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea, ipſi verò conſideraverunt, & inſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, hæc Davidem non locutum eſſe in Perſona totius Iſraelis, (ut quidam aſtuti hebræi aſſerunt) patet ex verbis, quæ ſequuntur ab eodem transfoſſo dicta. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te universum ſemen Jacob glorificate eum*, igitur unus aliquis in medio Eccelſiæ, & Iſràélis, narrat nomen Dei fratribus; nempe: Iſràéli, igitur non totus Iſràél,

él, ſed unus aliquis de ſe loquens inducitur: ſed non David in propria perſona, quia ei nunquam *foſſæ ſunt manus*, *aut pedes;* igitur in aliena perſona, ſed non in perſona quæ non ſit magni alicujus momenti, cùm Deus per ora Prophetarum de minoris momenti perſona locutus eſſe, minimè dicendus ſit: ſed nulli magni momenti Perſonæ per totam retro hiſtoriam hæc contigêre, ergo de *Meſſia* ſeu in Perſona Meſſiæ David loquitur. Quocirca hunc pſalmum *ad Meſſiam* pertinere docetur: in Midraſch Thehillim, & in libro Thalmudico Sanhedrin, ubi capite ultimo id tanquam certum ſumitur; & ſanè, nonne hic is idem ait: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, de quo Iſaias dicit cap: 53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, *attritus eſt propter ſcelera noſtra*, & nonne hæc. *Foderunt manus meas & pedes meos ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me*, ei aperte competunt, de quo dicitur Zachariæ cap: 12. *& aſpicient ad me quem confixerunt*, & cap: 13. *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* Sed quid mirum hæc *Meſſiæ* eventura eſſe, cum Danielis 9. apertiſſimè dicatur: *poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus*, *ſeu Meſſias*, ſi occidetur cur non vulnerabitur, & plurima patietur? his mirificè concordant ea pſalmi 68. *& dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt ego ſum pauper & dolens*, & Pſalmo 69. *ego vero egenus, & pauper ſum.* Plura his ſimilia de Meſſia prædicta videbimus.

ANNO.

ANNOTATIO 1ma.

IX. Hic Judæus mecum Scripturam lustrans mirari, stupere, & vix non animum despondere incipit; eô quod *Messiam*, quem in anterioribus Scripturæ locis tantum Regem, toti Orbi, usquè ad terminos terræ dominaturum conspexit, hocce in psalmo, aliisque concitatis, & collatis textibus pauperem, affligendum, vulnerandum, atquè etiam occidendum fore evidentèr videat. Verùm utiquè æquitatis jura servavimus ipsam presè Scripturam scrutamur, sensum sensui conferimus, sensum sensu explanamus, idem enim Spiritus Dei omnes dictans, idem suum intentum sæpius repetit, & quandoquè clariùs explicat. Insuper hebraicornm monumentorum, & Rabbinorum judicium consulimus, qui utiq; à majoribus suis, isti ab aliis, usquè tandem à Patribus ipsis & Prophetis sensum verum vaticiniorum didicisse existimandi omninò sunt. Sed meus hebræus quadantenùs titubare incipit, videturquè posthabitâ majorum suorum traditione inauditum, & vaferrimum astutorum & simul pervicacium quorundam Judæorum commentum amplecti velle; duos nimirum *Messias* futuros fore, unum divitem, alterum pauperem, & affligendum, atq; occidendum. Sed nugatoria illa inventio: mi Judæe frustra, & fraudulentèr ne quidem mentem tuam occupet, qui serio Scripturam ipsam mecum perscrutari aggressus es. Ubinam duos distin-

ctos

ctos *Messias* Scriptura venturos, vel minimo signo innuit? si unus ille Dives Messias Dei electus, & omnium Salvator, omniumquè summa expectatio futurus est? atquid illum pauperem alium, & occidendum Deus ordinavit? Sed interea patientiâ utere, evidentissimè etenim in secuturis Scripturæ locis, (fatentibus ipsis sincerioribus fratribus tuis Judæis) comperies, unum, & eundem *Messiam* & divitem totius Orbi Dominatorem, & tamen pauperem vulnerandum, & occidendum fore, ubi de vaticiniis Isaiæ, Danielis, & Zachariæ, acturi sumus. Arrepto semel justo & bono ordine rem nostram prosequamur.

PSALMUS XLIV.

X. *SPeciosus formâ præ filiis hominum* quæ Chaldæus Paraphrastes interpretatur: *Pulchritudo tua Rex Messia superat filios hominum* & R. Aben Ezra de toto Psalmo ait: *iste psalmus dicitur de Davide, vel Messia*, de Davide dici nequit, quia is speciosus, de quo uno & solo continuatè psalmus loquitur, dicitur Deus: *Sedes tua Deus in sæculum*, uti ex antiqua traditione sentiunt Aquila Judæus, & Chaldæus Thargumista, & alter hebræus apud Origenem lib: 1. contra Celsum: quocirca dum ulterius in hocce psalmo dicitur. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, prima vox *Deus* in vocativo casu accipienda est, nempè: *Te o Deus Messia.* Deus Pater unxit, id est: *in Messiam* consecravit

oleo lætitiæ, id eſt: virtute Spiritus Sancti, ſicut in Perſona *Meſſiæ* ait Iſaias cap: 61 *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me*, & ſanè de ſolo *Meſſia* hunc pſalmum dictum ex reliquis ejus verbis conſtat: cui enim hæc competere poſſunt. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*: niſi eidem, *qui dominabitur usque ad terminos terræ*. Igitur ex hoc etiam pſalmo conſtat *Meſſiam* fore Deum, ſed non Deum in ſeipſo acceptum, quia *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, ergo Dei Filium in forma humana, cui Deus Pater dixit 2. Reg. *Ego ero ei in Patrem*, & pſalmo 109. *Ex utero ante Luciferum genui Te*, Nb. *etiam pſalmo* 44. *Meſſiam prædictum eſſe Deum.*

PSALMUS LXXXVIII.

In hoc pſalmo pariter Meſſias promittitur fore Deus, & Regnum Davidis in ipſo ſempiternum.

XI. POſt Pſalmum 44. nihil particulare de Meſſia invenitur usquè ad Pſalmum 88. cujus verba ſunt. *Ponam in mari manum ejus*. Sicut de *Meſſia* dictum fuit Pſ: 71. *dominabitur à mari usquè ad mare*. Jlla verò: *Ipſe invocabit me, Pater meus es tu, ego primogenitum ponam illum* apprimè cohærent cum illis paritèr *de Meſſia* dictis. Pſal: 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui Te*. Sequentia etiam: *ponam illum excelſum præ Regibus terræ*.

terræ. Nec Davidi, nec Salomoni competere queunt, utpote qui Regibus Assyriorum minimè majores fuerant: quod magis patet ex hac voce *Excelsum* pro qua in textu hebræò legitur *Aelion*, quo nomine Deus in Sacris literis notari solet, quem etiam hic denotari fatetur Aquila hebræus commentans hunc psalmum: hinc etiam est, quod Sanchoniathon vetustus Scriptor Græcus in libris Moysi versatus narret *Elion* fuisse Patrem Cæli & terræ, & quod Pænulus apud Plautum Deos Deasquè *Aelionim* & *Aelionot* appellarit, non alia certè de causa, nisi quia ex hebræorum libris didicerunt *Aelion* nomen Dei fore. Cum autem in Beresith utraquè Rabba & Ketana, & in Veelle Semoth Rabba, & in Midrasch Cantici Canticorum, & à R. Selomoh & R. Aben Ezra ex antiqua traditione doceatur hujus Psalmi intellectum ad Messiam spectare, hinc consequens est *Messiam* fore Deum, Dei nempe Filium, cum dicatur: *Primogenitum ponam illum Excelsum seu Aelion*, & hac ratione, quia *Messias*, Deus futurus est, ex Familia autem Davidis secundum assumptam naturam humanam oriturus, ideo Davidis regnum in Messia sempiternum, utpotè in æterno Dei Filio futurum prædicitur hocce psalmo versu 36. *Semel juravi in Sancto meo*, seu *Messia* meo. *Si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum*, conformitèr ad ista 2. Reg: *Stabiliam thronum regni ejus in sempiternum*, quod verò

Messias de domo & semine David oriturus promittatur, ex pluribus Scripturæ locis constat, uti Psal: 131. *Juravit Dominus David veritatem de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Isaiæ 11. *Egredietur virga de radice Jessé.* Jesse fuit Pater Davidis, hæc loca de *Messia* dicta esse demonstrabimus sicut & illum Jeremiæ 23. *ecce dies veniunt, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex,* & alia in decursu operis, in quibus *Messias* dicitur de familia Davidis oriturus.

PSALMUS CIX.

Messias prædicitur ex Deo ab æterno genitus, Sacerdos, in æternum duraturo Sacerdotio, diverso ab Aronico, & Levitico, & hostes prostraturus.

XII. ALiqui pervicacium Judæorum hunc psalmum dicunt compositum non à Davide, sed à Cantore Davidis applaudente Davidi. Vel à Procuratore Abrahami in ejus obtentæ victoriæ laudem dedicatum. Sed quomodo poterat David, aut Abraham dicere alicui: *Tu es Sacerdos in æternum*, & vel maximè ista: *Ex utero ante Luciferum genui Te?* Suis igitur chymericis tergiversationibus facessent mendaces illi Judæi, atquè potiùs antiquæ traditioni adhærentibus suis fratribus consentiant, qui prædictum psal-

mum

mum non tantum à Davide dictum, sed etiam ad *Messiam* referendum esse sentiunt, Thargumista, R. Moses Hadarsan in genesim. R. Saadias Gaon in Danielem. R. Isaac ben Aramah, & in Midrasch Thehillim & in ipsis Pandectis Judaicis in Sucach 5. cap: in Gemara. Et sanè hic psalmus eodem Spiritu Dei dictatus apparet, quô psalmus secundus *de Messia* dictus, cum ei ad amussim correspondeat; imo aliis Scripturæ Sacræ locis apprimè concordat, quæ *de Messia* quoquè dicta esse constat. David in præfato psalmo 109. ait: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, quis Davidis Dominus esse poterat nisi *Messias* prævisus? Rex enim existens David, Dominum terrenum minimè agnoscebat. Domino Davidis nempè: *Messiæ*; Dominus primus nempè: Deus Pater ait: *Sede à dextris meis*, quod non competit nisi Filio Dei. Quocirca Pater Divinus statim subdit: *ex utero ante Luciferum genui te*; nempe: Filium ejusdem mecum naturæ, sicut dixerat eidem *Messiæ* Ps: 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui Te*; *hodie* indefinitus terminus, nil aliud quàm æternitatem designat, hinc Isaias 53. exclamat: *generationem ejus quis enarrabit*, & Michæas cap: 5. *egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Ps: 88. *Ipse invocabit me Pater meus es tu*, *Primogenitum ponam illum Excelsum Aelion præ regibus terræ*, hinc *Messias* absolutè Deus dicitur apud Isaiam, & Baruch: *Vocabitur Admirabilis Deus fortis, Pater futuri sæculi. Ecce Deus noster post hæc in terris visus est*, quis

igitur

igitur nisi cæcus, & obduratissimus non videat *Messiam* Dei Filium ejusdem cum Patre naturæ, ex Deo Patre ab æterno genitum fore.

Regiam Dignitatem *Messiæ* declarant illa verba: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, quæ cohærent cum ijs Ps: 44. *Virga directionis, virga Regni tui*, undè verò regnum, & potestatem ejus emittet Dominus? *ex Sion*, quæ cohærent cum ijs Isaiæ 2. *quia de Sion exibit Lex*, Ex Sion igitur *Messiæ* Lex, & potestàs. Ulterius Deus Pater Domino secundo, nempe: *Messiæ* Dominus Domino meo promittit. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, hic vox *choen* non pro rege, sed pro Sacerdote accipitur, quia ipse Aben Ezra & in Thalmudico libro Nedarim docent Judæi non legendum esse *Melchi zedeq* id est: *regem meum justum*, sed *Melchisedech* illum Sacerdotem, nempe: *tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi* Sacerdotis: Igitur Messias Sacerdos erit, sed non secundum ordinem Aaronicum, seu Leviticum, quod Sacerdotium legi veteri essentialitèr annexum erat, *sed secundum ordinem Melchisedechi*, qui panem, & vinum offerre solebat Gen: 14. igitur Sacerdotium aliud ab Aaronico instituet *Messias*, consequenter & aliam legem quia *de Sion* unde *emittetur virtus* Messiæ *exibit Lex*. Messiæ autem Sacerdotium vigebit *in æternum*. Reliqua verba triumphos Messiæ pollicentur: *Dominare in medio inimicorum tuorum* &c. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges, conquassabit capita in*

terra

terra multorum. Hæc inferius commodiùs examinabimus, ubi de Messia bellatore spirituali agemus. Davidi recto ordine sacris in literis succedunt Prophetæ cùm in Proverbiis, Ecclesiastico, & Ecclesiaste, & canticis nihil obvium de *Messia* reperiatur.

Prophetæ Majores quatuor, minores autem duodecim numerantur, quos singulos perpendemus. Primum locum obtinet.

ISAIAS PROPHETA MAJOR.

Capite secundo Messiam prædicit instituturum novam legem.

XIII. CApite secundo suæ Prophetiæ: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos. Messiam* hic prædici cum R. Kimchi uno ore fatentur hebræi, & præcipuè R. Aben Ezra in Michæam. Isaias ait in monte Sion à Messia docendas esse gentes vias Domini, seu legem Domini, quæ *de Sion exitura est,* utique non lex Domini vetus, quia hæc *de Sinai,* non *de Sion* exivit: unde statim subdit: per legem Domini ex Sion exituram tempore Messiæ, *judicandas esse gentes, & arguendos populos*

los multos. Vetus autem lex ad solos Judæos judicandos instituta fuerat, & solis Judæis data. Igitur Lex Dei per Messiam danda, alia & nova erit, quæ etiam ad gentes judicandas pertinebit, & eas obligabit, seu arguet.

Caput secundum Isaiæ connectitur cum capite 11*mo, ubi de pace adducenda per Messiam agitur.*

XIV. CApite secundo versu 4. ait Isaias: *& conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Per quæ verba denotantur, præterita, & gesta hucusquè bella tempore adventus *Messiæ* finienda, atquè altam, & universalem pacem futuram, nam ijdem supra citati hebræi, hic, & in sequentibus textibus *Messiam* designari fatentur cum R. Kimchi, & Aben Ezra, quam universalem pacem etiam significavit Isaias hâc allegoriâ cap: 11. *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit* nempe: excitatæ ferocium bellatorum inimicitiæ restinguentur. Et quia universalis pax in adventu *Messiæ* futura est; Eum vocat cap: 9. Principem pacis. *Vocabitur Nomen ejus Princeps pacis.* Sicut & Ps: 71. de eo dictum fuit. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* Abundans & universalis pax. Cum igitur *Messias* Princeps sit pacis, & pacem afferet; verba sequentia capitis secundi non presse, & nudè, sed

in

in ſenſu myſtico accipienda ſunt, nempe: *Et in curvabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitùs conterentur, & introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria Majeſtatis ejus cum ſurrexerit percutere terram*, quomodo autem percuſſurus ſit terram? cap: 11mo explicat, *& percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, & erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Ita ut ſenſus ſit: in adventu *Meſſiæ* ſublimitatem, & ſuperbiam hominum in Dei adorationem, & cultum inclinandam eſſe; idola penitùs auferenda, ita ut videantur *in ſpeluncis petrarum & voraginibus terræ* recondita manere, quia virga oris ſui & ſpiritu, labiorum, nempè: virtute Divina *Meſſias* terram percutiet, ſeu mundabit ab idololatria & eodem ſpiritu, ſeu virtute interficiet, ſeu annihilabit, & ceſſare faciet impios idololatras & impietatem idololatriæ, ita ut amplius non reperiantur in terra, quia veram juſtitiam, & veram fidem ac religionem adducet: quocirca additur: *& erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* His enim nonniſi ſpiritualibus armis pacifico *Meſſiæ* Principi pacis bellare, & pugnare competit, & ideo cap: 16. Iſaiæ de eo dicitur: *emitte agnum Domine Dominatorem terræ.* Dominatorem maris & terræ vidimus eſſe *Meſſiam*, qui Agni figurâ nihilominus delineatur, quia Pacificus, & manſvetus

ſvetus non bellorum, & armorum ſtrepitu, ſed fide, lege ſua, & juſtitia ubiquè dominabitur. Hinc eſt quod Judæos imperitos, qui verba illa: *virga oris ſui percutiet terram*, & iſta: *habitabit lupus cum agno* &c. Nude accipiebant, refellit doctiſſimus hebræus Maimonides in Jad. Chaz, & R. David Kimchi parte 4. lib: de Reg: cap: 12. ubi hæc in ſenſu myſtico nobiſcum explicant.

Reliqua capitis undecimi verba ſunt, quibus *Meſſias* ex domo & familia Davidis proditurus dicitur: *Et egredietur virga de radice Jeſſè, & flos de radice ejus aſcendet: in die illa radix Jeſſè qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum*, ex quibus communis Judæorum opinio ortum duxit *Meſſiam* de domo David futurum eſſe. Nam Jeſſe erat Pater Davidis, dicuntur Meſſiam omnes gentes deprecaturæ, ſicut Pſ: 71. *Omnes gentes ſervient ei*; in ſignum verò poſt mortem ejus quod fuerit verus Meſſias, *erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Caput hoc 11mum totum, & ſecundum concitatum *ad Meſſiam* pertinere aſſeverant Jonathan, & Thalmudiſtæ, & in Midraſch Thehillim, & in Bereſith Ketana & R. Salomon Jarchi, & R. Maimonides, & alij.

CAPUT 7mum ISAIÆ.

In quo Meſſias ex intacta virgine naſciturus promittitur.

XV. LEgimus cap:7. Isaiæ, quod cũ, à Razin Rege Syriæ, & Phacee Rege Isràël obsessa esset civitas Jerusalem, & impius Achaz Rex Juda signum liberationis nollet à Deo per Isaiam petere, Isaias se averterit ab eo, & ad Domum David sermonem suum converterit ex Circumstantia liberandæ urbis Spiritu Dei promittens, domum David non interituram, sed in *Messia* perennaturam, atquè signum insolitum hujus domui David assignare volens, virginem intactam parituram Filium promisit; cujus nomen esset *Emmanuel*, id est *Deus nobiscum*, utpote quia à Deo missus *Messias* Dei Filius nobiscum esset, sic enim ait Isaias: *Audite ergo domus David propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Et subdit, de alio jam puero loquens: *quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris.* Non eadẽ verba repetit capite sequenti, ubi loquitur de puero filio non virginis, sed prophetissæ Uxoris suæ: *Antequam sciat puer vocare Patrem, & Matrem auferetur fortitudo Damasci.* Igitur non debent confundi duo illi pueri, unus enim appromittitur Domui David tanquam *Messias*, alter verò appromittitur in signum eversionis regnorum Syriæ Damasci, & Samariæ: primus dicitur ex Virgine nasciturus, nempe: *Messias*; secundus dicitur ex maritata Prophetissa gignendus esse. Primo

nempe:

nempe: *Messiæ* datur nomen *Emmanuel Deus nobiscum.* Secundo datur nomen non Emmanuel, sed *accelera spolia detrahere.* Igitur apertissimè constat distinctos hic attingi pueros. Et primus quidem nempe: *Messias Emmanuel* vocatur quod est proprium nomen *Messiæ.* Nam apud Masoretas in Sepher Aeman cap: 2. idem significat *Emmanuel,* ac *Jescuahba,* seu Salvator, in magna etiam expositione numerorum hæc verba: *Vocabitur Nomen ejus Emmanuel,* de Messia dicta esse asseverant Judæi, & sanè quis Emmanuel esse valet seu Deus nobiscum, nisi *Messias,* quem vidimus Dei Filium fore, adeoque verè Deum nobiscum.

Dicunt quidem duo ex Apostatis recidivi Judæi; Aquila, & Theodotion vocem: *ecce virgo,* in textu hebræo juvenculam significare, quæ e i-am corrupta esse potest, & hoc comprobari putant cap: 19. proverb: 4*tum penitùs ignoro, viam viri in virgine,* quæ hic supponitur corrupta, sed præterquam quod in versione 70. interpretum, & in vulgata legatur. *Viam viri in adolescentia* non vero *in alma* seu virgine. Jidem 70. interpretes hebraicæ lingvæ peritissimi, & R. Onkelos & R. Jonathan, versio etiam Syriaca, & Arabica textum hunc *ecce virgo* interpretantur de virgine quæ virginitatem adhibitâ custodiâ servat, & in textu ipso hebræo pro: *ecce virgo* habetur *ecce alma concipiet:* voce autem *alma* semper in Scripturis significatur Virgo adhibita custodia virginitatem servans, veluti Gen:

cap:

cap: 24. ubi Rebecca puella pulchra nimis virgoquè incognita viro dicitur, in textu hebræo legitur *Alma*; & Exodi capite 2. Mariæ Sorori Moysis, quæ itidem virgo adhuc intacta fuerat, idipsum nomen *Alma* tribuitur. Messiam igitur hoc loci ex Virgine intacta nasciturum prædici constat. Et sanè cùm Pater æternus Messiam *ex suo Utero ante Luciferum genuisse* se dicat, convenientissimum est, ut ille Messias alium Patrem terrenum non agnoscat, sed ex intacta Virgine Dei operâ nascatur.

CAPUT nonum ISAIÆ.

In quo Messias prædicitur fore Deus, & Regnum Davidis in ipso sempiternum.

XVI. DE Parvulo filio illo Virginis ait Isaias cap: 9. *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis, super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia, à modo & usquè in sempiternum.* Verba illa: *parvulus natus est nobis* cohærent cum iis: *ecce virgo concipiet & pariet Filium*, & qui dicebatur cap: 7. *Emmanuel Deus nobiscum*, hic dicitur *Deus fortis*, & de quo Ps: 88. dicebatur: *Thronus ejus sicut sol & sicut*

luna perfecta in æternmu, & 2. Reg: *Stabiliam thronum regni ejus in ſempiternum*, hic dicitur: *Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud usquè in ſempiternum*, qui cum *Meſſias* ſit (uti oſtendimus) de domo David oriundus, prout Jeremiæ 23. *Suſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex*, hinc in illo *Meſſia* de Domo David oriundo confirmabitur regnum Davidis in ſempiternum, quomodo in ſempiternum? quia nempe *Meſſias* Dei Filius eſt coæternus Patri, *ex utero ante Luciferum genitus*, & idcirco hoc 9. capite Iſaias eum vocat *Admirabilem* quod nomen ſoli Deo competit, ut conſtat ex capite 13. Judicum. *Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile.* Hinc etiam clarius Meſſiam Deum fore declarat dando illi nomen *Deus fortis*, quod nomen ſibi competere ipſe Deus teſtatur Gen: cap: 49. *ego ſum Dominus, Deus fortis.* Igitur jam dubium ultra eſſe non poteſt *Meſſiam* Deum nempe Dei Filiũ fore, & ideo ex Virgine ſine humano Patre naſciturum. Unde hæc omnia nomina *Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Princeps pacis. Pater futuri ſæculi* ad Meſſiam pertinere docent Chaldæus Paraphraſtes, & Maimonides in epiſtola ad Affric. Item hunc locum de Meſſia dictum eſſe diſertis verbis reperitur apud Thargumiſtam, & in Bereſith Rabba & in Seder Debarim Rabba, & in Echa Rabbathi ſive expoſitione magna Threnorum.

CAPUT

CAPUT 35tum ISAIÆ.

In quo Messias prædicitur Deus fore, & magna Miracula patraturus.

XVII. *DEus ipse veniet, & salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures Surdorum patebunt, tunc saliet, sicut cervus claudus, & aperta erit lingva mutorum & redempti à Domino convertentur, & venient cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum.* Hæc Judæi universim adscribunt *Messiæ*, nam ex his verbis commenti sunt in suam gratiam à *Messia* edenda miracula, cum reditum ipsis in Judæam parabit. Et ex postremo commate R. Moses Aadarsam in Beresith Rabba probat Messiam liberaturum damnatos è pœnis inferni. Cum igitur Judæi ipsi consentiant hic Messiam prædici; Nos inde ipsam veritatem colligimus: *Messiam* utpote Deum è cælis venturum Salvatorem, & miracula magna patraturum, cæcos illuminando, surdorum aures aperiendo, claudis gressum dando, & à se redemptos sempiterna lætitia impleturum. Concordant his, quæ Ezechiel in Persona Messiæ ait cap: 34. *Quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo.*

CAPUT 42. cum aliis concitatis.

Promittit Messiam Salvatorem, & lege nova illuminaturum gentes.

XVIII.

XVIII. *ECce Servus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet* de quo nempe dixerat cap: 2. *de Sion exibit lex & judicabit gentes*, & de quo Isaiæ 9. *Flos de radice Jesse requiescet super eum Spiritus Domini*, huic ulterius cap: 42. Deus ait: *ego Dominus vocavi te in justitia, & dedi te in fædus populi in lucem gentium*, in quale fædus, & qualem lucem? statim explicat; *Legem ejus insulæ expectabunt*, ergo lege sua illuminabit gentes, & illa erit fædus populorum, non antiquum fœdus, aut antiqua Lex, quæ solis Judæis data fuit, sed hæc lex, & fœdus hoc Messiæ novum erit, quia illud *insulæ expectabunt*, unde 49. capite dicitur, *ecce dedi te in lucem gentium*, non Judæorum tantum, *ut sis salus mea usquè ad extremum terræ*. Clariùs id insinuatur cap: 51. *Attendite ad me populus meus, & tribus mea me audite, quia Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet: prope est justus meus egressus est Salvator meus*. Ecce clarissimè appromissam tempore Messiæ novam legem gentibus, & populis dandam. Nomine autem *justi* & *Salvatoris* nemo intelligi potest nisi *Messias*. Nam hunc locum capitis 62. *Donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. Moses Hadarsan, & Judæi in Beresith Rabba ad Messiam referri docent. Cæteros etiam citatos textus Messiæ adjudicant Jonathan ben Uziel. R. David Kimchi & R. Maimonides & in Midrasch Thehillim, & ratio ipsa

svadet

ſvadet, cùm omnes illi textus unum & idem prædicent.

CAPUT 52. cum CAPITE 53.

Hic benè animadvertendum eſt contra aſtutos illos Judæos, qui duos excogitarunt Meſſias unum Magnificum & Divitem, alterum pauperem, inglorium, & deſpectum, & occidendum. Nam ex combinatione utriusque capitis 52. & 53. oſtendemus unum, & eundem eſſe Meſſiam illum Magnificum, & pauperem, inglorium, & occidendum.

XIX. IMprimis Iſaias *Meſſiam* Principem pacis, & Salvatorem, & lucem gentium aſſerit prædicaturum pacem, & ſalutem, *quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion: regnabit Rex tuus*, quæ de *Meſſia* dicta eſſe etiam conſentiunt Judæi in Midraſch, Schir, Haſchirim, concordant, etenim cum illis apprimè, quæ capite immediatè præterito attulimus, ubi *Meſſias* dicitur: *In lucem populorum ſalus mea Salvator*, & alibi *princeps pacis*, de eodem ulterius hoc cap: 52. ait: *Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Deinde *Meſſiam*

vocans servum suum (ut sæpiùs Deus solet) exempli gratiâ cap: 42. *Ecce servus meus complacuit sibi in illo anima mea.* Quem locum de *Messia* dictum fatentur Judæi citati in immediatè præterito capite. Deus inquam etiam hocce capite 52. vocans eundem Messiam servum suum, in versu 13. de ipso ait: *Ecce servus meus intelliget, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè:* nempè qui tot vaticiniis *excelsus præ regibus terræ* toti orbi dominaturus dicebatur, quocirca hunc locum capitis 52. *ad Messiam* pertinere ultra fatentur Judæi in Thargum Jonathanis Uzielidæ, & in expositionibus R. Selomoh Jarchi & R. Isaaci Abrabanielis, & R. Mosis Alschechi qui se à Magistris suis id accepisse ajunt; item in Beresith Rabba & Midrasch Thehillim & in Tanchuma. Sed nunc adjuncta huic loco perpendamus, quid de elevato, & exaltato, & sublimi valdè Messia dicat Propheta seu Deus per Prophetam? immediatissimè nullo interposito ait: *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus.* Ecce Judæi sicut *Messiam* excelsum, exaltatum, sublimem valde Regem admirati estis, ita ejusdem *aspectus inter viros inglorius, seu despectus erit, & forma ejus inter filios hominum.* Subditur de eodem continuò: *Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum.* Super ipsum inglorium licet, *continebunt reges os suum,* quem Ps: 71. *adorabunt omnes reges terræ,* hinc post hæc verba incipiens statim caput 53. Isaias exclamat: *Quis credidit auditui nostro?*

stro?

stro? quasi dicere vellet: quis nobis credet, dum eum *Messiam* qui tantus Magnificus rex alibi dicitur, nos inglorium aspectum ejus, & formam dixerimus. Verum nihilominùs nullo interposito idem repetit: *Non est species ei*, *neque decor*, *&* *vidimus eum*, *&* *non erat aspectus*, *&* *desideravimus eum: despectum & novissimum virorum*, *virum dolorum*, *&* *scientem infirmitatem*, *&* *quasi absconditus vultus ejus*, *&* *despectus*, *unde nec reputavimus eum.* Ecce ergo Judæi de uno & eodem magno, exaltato, & sublimi valde Rege Messia dictum esse eundem inglorium despectum aspectum, & formam ejus, ut nec species, nec decor ei sit. Sic etenim ipsa verba in capite 52. habentur continuatim. *Ecce intelliget, servus meus exaltabitur*, *&* *elevabitur*, *&* *sublimis erit valde*, *sicut obstupuerunt super te multi*, *sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*, *&* *forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas*, *super ipsum continebunt reges os suum*, *quia quibus non est narratum de eo*, *viderunt*, *&* *qui non audierunt contemplati sunt.* Et statim nullo interposito incipit suum caput 53. Isaias. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est*, *&* *ascendet sicut virgultum coram eo*, *&* *sicut radix de terra sitienti*, *non est species ei*, *nequè decor*, *&* *vidimus eum*, *&* *non erat aspectus*, *&* *desideravimus eum: despectum & novissimum virorum &c.* Quis hic nisi omninò cæcus, & obduratissimus non videat eundem exaltatum. & sublimem valdè, inglorium aspectum, & formam ejus, & su-

per eundem inglorium reges os ſuum continere, & eundem ſuper quem reges os ſuum continebunt, ſeu quem reges adorabunt, & eidem non futuram ſpeciem, nequè decorem, & inglorium aſpectum ejus, & deſpectum, & noviſſimum virorum habendum eſſe, etiam virum dolorum fore. Sed in hoc ſibi ſuffragantem Iſaias habet Prophetam Zachariam qui cap: 9. pariter eundem magnum Regem Meſſiam pauperem, ſeu deſpectum fore ait: *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Rex, & pauper.

Conceſſerunt (ut vidimus) citati Judæi textum illum: *Servus meus exaltatus, elevatus erit, & ſublimis valdè de Meſſia* dictum eſſe; concedere itaquè neceſſariò debent *Meſſiam* inglorium, deſpectum & pauperem, virum dolorum futurum fore, cum oſtenderimus de eadem perſona continuatè dicta eſſe utraquè & glorioſa, & ingloria, ac deſpecta.

Sed continuationem de glorioſo ſimul, & inglorio, ac deſpecto *Meſſia* apud Iſaiam eodem cap: 53. legamus. *Non eſt ei ſpecies, nequè decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus; & deſideravimus eum, deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; unde nec reputavimus eum. Verè langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera*

noſtra

nostra & livore ejus sanati sumus & posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, generationem ejus quis enarrabit? propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit & cum sceleratis reputatus est & pro transgressoribus rogavit. Hæc de *Messia* dicta esse ingenuè fatentur Jonathan, & alij in Jemara cap: ultimo libri Sanhedrin, in Siphre libro veteri qui Thalmude antiquior habetur, & in Beresith Rabba. Sic etiam R. Selomoh. R. Moses Hadarsan & alij. Et sanè quisnam est, cujus generationem difficillimum sit enarrare nisi *Messias?* quis iniquitates omnium nostrum portare potest, ita ut ab iis sanemur, ejus livore, & ejus morte justificemur, nisi unus *Messias?* qui tot in locis Salvator; & salus nostra dicitur. Jam igitur difficultatem nullam ampliùs Judæi patientur, ut ad eundem *Messiam* referant illa psalmi 21. *Foderunt manus meas & pedes meos dinumeraverunt omnia ossa mea, ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, & ista Ps: 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto ego sum pauper, & dolens, super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

ANNO-

ANNOTATIO 2da.

CUm ex Prophetis Iſaia & Zacharia ingenué, & veraciter perpenſis, inviĉtè conſtet, unum & eundem Meſſiam, & Magnificum Regem, & nihilominùs pauperem, deſpectum, vulnerandum, atquè etiam occidendum fore; non alia via reſtat hæc ad primum intuitum quaſi contraria, vera explicatione combinandi, quàm quod *Meſſias* non Rex terrenus, ſed Rex Regum; Dei nempè Filius (ut ex tot, & tantis Scripturæ locis vidimus;) in natura humana, & forma aſſumpta pauper, & inglorius apparitu- rus ſit. Et quod ejus Regnum non terrenum ſed ſpirituale ſit, non in apparatu Regibus terrenis ſimili; ſed in congregatâ ſub una ſua lege ex omnibus totius mundi gentibus Eccleſiâ conſiſtat. Et ſic ſecundum Divinam ſuam naturam, & ſecundum omnes ſuæ legi ſubjectos populos verè dici poſſit totius mundi Rex, & Dominator: ſecundum verò ingloriam, & pauperem formam, qua in natura humana aſſumpta apparebit, pauper, inglorius, vulnerandus, & etiam occidendus ſit. Non me hac in explicatione paradoxum quoddam in medium attuliſſe; verum ipſam veritatem, ex ſecuturis etiam Scripturæ Sacræ locis magis compertum, & meridiana luce clarius fiet. Quocirca arrepto ordine procedamus quo poſt Iſaiam ſequitur.

JERE-

JEREMIAS.

Capite 3. asserit novam doctrinam seu legem dandam sublata Arca Veteris testamenti seu lege vetere.

XX. *DAbo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem.* Si non recordabuntur ampliùs Arcæ Domini, neque Arca Domini super cor ampliùs ascendet, ergo & Lex antiqua obliterabitur & evanescet; quia *Jerusalem vocabitur solium Domini & congregabuntur ad eam omnes gentes* pascendæ utiquè *scientia & doctrina* alterius Legis ab antiqua, novæ scilicet quæ Isaiæ 2. *De Sion exibit, & de Jerusalem, & fluent ad eum omnes gentes* (ut vidimus num: 13.) *Nam si Arca testamenti non ascendet super cor*, nec testamentum ipsum antiquum memorabitur, aut servabitur, adeoq; doctrina, quâ tunc pascentur, non testamenti antiqui sed novi, erit. Sed & Jerusalem nomen immutabit suum, & vocabitur *solium Domini;* quia (ut Isaias ait cap: 65. Deus faciet omnia nova:) *ne memineritis priorum, & antiqua ne intuamini, ecce ego facio nova*,non re memoranda igitur èrit antiqua Hierusalem; novam enim fundaturus est Hierusalem,

lem, Ecclesiam nempe Messiæ, quam nomine Hierusalem significabit; sicut Isaiæ 65. dicitur *quia ego Creo cælos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor quia ecce ego Creo Jerusalem, exultationem, & populum ejus, gaudium*, ecce aliam novam Jerusalem creabit, utiq; Ecclesiam Messiæ, quæ verè dici poterit *Exultatio*, & populum alium, qui vocetur *gaudium* fideles nempe Messiæ. Hinc est, quod nomine *Isràélis*, Electi, seu fideles vocabuntur, uti ad Isràélitas Deus loquitur per Isaiam cap: 65. *& dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis.* Igitur nomine Isràélis significabuntur electi, & fideles Dei, & Messiæ. Nam hoc cap: 65. Deus inter Isràélem, & gentes distingvit, gentes convertendas ad Dominum vocando *Servos:* Isràélem verò vocando *dereliquentes Dominum:* & ait: *vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis sanctum montem meum:* ergo antea eum cognoverunt. Ergo Isràélitæ *Vos confundemini, & servi mei lætabuntur, ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis:* hi erunt illa *exultatio Jerusalem* novæ. *Vos autem clamabitis præ dolore cordis, & dimittetis nomen vestrum in juramentum Electis meis.* Ergo Deus aperte innuit nomine Isràélis quondam electi nominandas esse gentes convertendas ad Dominum, & gentes conversas seu fideles Dei, & Messiæ vocandas esse novus Israel. Hinc Deus apud Oseam iisdem gentibus antea idololatriæ deditis, postea verò tempore Messiæ ad Deum conversis ait cap:

2.

2. *& dicam non populo meo, populus meus es tu,* novus nempè electus Iſrael. Hinc in Scripturis ſæpiſſimè fideles, & electi Meſſiæ, nomine Iſraelis, Juda, Domus David; & Eccleſia Meſſiæ, nomine Jeruſàlem, olim electæ, deſignantur.

De vocatione Gentium & Judæorum ad legem & Eccleſiam Meſſiæ.

XXI. Vidimus immediatè citato, & explicato cap: 3. Jeremiæ, arcam teſtamenti antiqui oblivioni tradendam, atque idcirco ipſum etiam teſtamentum antiquum obliterandum, & novam doctrinam, & legem de Jeruſalem exituram eſſe, ad quam congregabuntur gentes omnes. Quod de verbo ad verbũ antea conſpeximus Cap: 2. Iſaiæ. Num: 15. Vidimus paritèr hâc nova lege, & nova doctrina gentes illuminaturum eſſe Meſſiam num: 18. Nunc videamus Judæos, & gentes ab omnibus terræ partibus vocandos eſſe in unam illam Meſſiæ legem, & Eccleſiam, quæ ſecundum Iſaiam, & Jeremiam de Jeruſalem egreſſura dicitur; & quia illa lex de Jeruſalem egreſſura eſt, ad illam in Jeruſalem invitari dicuntur tam Judæi, quam omnes gentes ex omnibus terræ partibus *Dedi te* nempe Meſſiam, *in fœdus populi, ut ſuſcitares terram & poſſideres hæreditates diſſipatas, ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali; leva in circuitu tuo oculos, & vide, omnes iſti congregati ſunt venerunt tibi* cõſonant apprimè

his

his pſ: 2. *dabo tibi poſſeſſionem tuam terminos terræ*, & etiam in Midraſch Thehillim Meſſiæ adſcribuntur. Similia habentur cap:66. Iſaiæ, *ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerint ad gentes, in mare, in Affricam, & Lydiam tendentes ſagittam in Italiam, & Græciam, ad inſulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent*, (ad Judæos nunc loquitur) *omnes fratres veſtros de cunctis gentibus ad montem Sanctum meum Jeruſalem veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea:* nonne optimè cohærent cum illis cap: 2. Iſaiæ, *erit in noviſſimis præparatus mons Dominus Domini, & fluent ad eum omnes gentes, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem*, ubi utiq; vidimus Meſſiam deſignari, cujus nova lex de Jeruſalem exibit. Sed ecce quomodo ex univerſis terræ partibus dicuntur tam gentes, quam Iſràélitæ ad hanc Meſſiæ Legem in Jeruſalem vocandi eſſe. Utiq; Jeruſalem omnes gentes, & omnes lingvas, & omnes ex univerſis terris adducendos fratres veſtros, nempè Judæos, imò & omnē carnem minimè capere poterit. Hoc enim impoſſibile eſt. Igitur non ad nude ſumptam Jeruſalem, ſed ad amplectendam legem, & doctrinam Meſſiæ, quæ de Jeruſalem exibit, adducendi illi omnes dicuntur. Sed quomodo? per eos *qui ſalvati ſunt*, nempè quos eliget Meſſias, &

mittet

mittet *in Affricam*, *&* *Lydiam*, *in Italiam*, *&* *Græciam*, *&* *ad insulas longè* ipsi enim *anunciabunt gloriam meam gentibus:* & consequenter Judæis inter eas manentibus. Et in hoc sensu omnes illi dicuntur adducendi in Jerusalem, nempè in legem & Ecclesiam Messiæ, quæ in Jerusalem ortum habebit, & inde exibit.

Quocirca in eodem sensu accipienda sunt, quæ habētur Jeremiæ 23. *Et ego cōgregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc, & convertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores & pascent eos.* Sicut dixit cap: 3. *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrinâ non dicent ultra arca testamenti* congregabuntur igitur reliquiæ gregis antiqui nempe Judaici, ut pascantur scientia, & doctrina, nempè: Lege Messiæ, relictâ arca, seu vetere lege. Subdit enim statim Jeremias, id futurum per Messiam: *ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Germen David utiq; illud est, quod *Virgam de radice Jessè* ab Isaia cap: 11 dictum ostendimus. Quare hæc Jeremiæ testimonia de Messia prolata esse sentiunt Jonathan, & Thargumista, & Judæi alij in Beresith Rabba, & in Echa Rabathi, & in Tanchuma, inde enim & communis illa Judæorum traditio orta est, Messiam de familia Davidis oriundum fore, de quo etiam dictum vidimus num: 18. *Ecce dedi te in lucem*

gen-

gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.

Dicit quidem Jeremias citato cap: 23. reliquias gregis Judaici ad rura propria convertenda esse tempore Messiæ, sicut Isaiam vidimus asserere, non solum Judæorum reliquias, sed omnes omnino populos, & gentes in Jerusalem adducendas esse simul cum Judæis, quos omnes cum Jerusalem nullo modo capere possit, intelligendum esse diximus, quod simul Judæi, & gentes ad legem, & Ecclesiam Messiæ, quæ de Jerusalem exibit adducendi sunt. Nam Propheta allusit quidem ad dispersionem Judaicæ gentis, quæ suo tempore dispersa erat, in Babylonicam, & Egyptiacam servitutem, sed spiritualem ipsis assignavit Jerusalem, & spiritualia rura terræ suæ, ad quæ tempore Messiæ convertendi essent; nempè legem, & Ecclesiam Messiæ, quæ de Jerusalem, & ruribus illis exibit, ortumq; ducet. Cum enim non illi soli (ut vidimus) tempore Messiæ ad Jerusalem, & rura illa adducendi sint, sed omnes gentes, & lingvæ, imo omnis caro, signum omninò evidens est, hic Jerusalem, & rura Israel in sensu mystico accipi, nempe pro lege, & Ecclesia Messiæ, quæ de Jerusalem, & terra illa exibit, & ad quam omnes gentes, & reliquiæ Judæorum aggregandæ sunt. Uti etiam vidimus num: 20. in Scriptura sæpe *Jerusalem* designare Ecclesiam Messiæ & *Israel* designare fideles ejusdem.

Quod autem ita hic Jerusalem, & rura Israël pro lege, & Ecclesia Messiæ accipienda sint, invicto hoc argumento probo. Tunc

Tunc pro Jerusalem ad quam adducendi sunt Judæi, & gentes, debet intelligi Ecclesia Messiæ, si impossibile sit tempore Messiæ Judæos, & gentes adducendos esse ad litteraliter, & materialiter acceptam Jerusalem & terram Israel. Sed impossibile est; quod probo. Impossibile est Judæos adducendos esse ad Jerusalem, & terram Israel tempore Messiæ, si Jerusalem in sempiternum non instaurabitur, & populus Judaicus in sempiternum in suum statum non restituetur. Sed ita est ex Isaia cap: 25. *posuisti Civitatem, nempè Jerusalem in cumulum, & urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit Civitas, & in sempiternum non ædificetur.* Jeremiæ cap: 19. *Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod nõ potest ultra instaurari.* Ergo nunquam Civitas & status Judæorum instaurabitur, ergo nunquam ad Jerusalem, & terram Israel materialiter, & litteraliter acceptam reducendus est populus Judaicus. Ut quid enim? si nec statum ullum, nec Civitatem habiturus est. Confirmat hæc Amos cap: 5. *Domus Israel cecidit, & non adjiciet, ut resurgat, Virgo Israel projecta est in terram, & non est qui suscitet eam.* Nudis igitur vanæ spei chymeris obcæcati se pascant Judæi.

Qui ergo ad cor redire, & non in meridie cæcutire volunt, nobiscum sentiant ad Spiritualem Jerusalem, ad Ecclesiam nempè Messiæ, & ad legem ejus, quæ de Jerusalem exibit, congregandas esse omnes gentes, & reliquias gregis Judai-

ci. Vidiſtis utiq; ex Iſaia tempore Meſſiæ de Sion legem exituram, & ad eam omnes gentes confluxuras, vidiſtis Meſſiam in Affricam, & Lydiam, & inſulas longe miſſurum ſuos electos qui gentibus, & Judæis Legem novam, & gloriam Dei annuncient, juxta illud Iſaiæ 42. *Legem ejus inſulæ expectabunt*, & ipſe Meſſias per legem ſuam illuminaturus eſt omnes populos, Iſaiæ 51. *Quia lex à me exiet & judicium meum in lucem populorum requieſcet, prope eſt juſtus meus egreſſus eſt Salvator meus.* Ipſe usq; ad extremum terræ omnes gentes lege, ſua illuminabit, *ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea usq; ad extremum terræ.* Cum igitur ad legem ejus omnes illæ gentes,. & populi congregabuntur, & illa lege Meſſiæ illuminabuntur, illi omnes ex univerſis terræ partibus ad unam Meſſiæ legem coadunati populi efficient Eccleſiam Meſſiæ, & iſta ejus erit per univerſum orbem Eccleſia, & ejus per univerſam terram regnum. Quod ipſe ſolus reget, quos omnes ipſe unus Paſtor Meſſias paſcet, juxta illud Ezechielis 37. *Rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur ampliùs in duo regna, & ſervus meus David.* Meſſias nempè de Domo David oriundus. *Rex ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium eorum.*

REGNUM MESSIÆ.

XXII. Hic jam invicte probandum venit Meſſiæ Regnum non poſſe aliud eſſe, quam

Ecclesiam ejus ex populis universæ terræ in ejus legem aggregatis; Vidimus sat, superq; Messiam lucem futuram gentium, insularumq; populorumq; omnium; vidimus eum non aliter illos illuminare posse, nisi doctrinâ, & sua lege, ad quam quoq; sat superq, vidimus, & confluxuras & aggregandas undiq; esse gentes, adeoq; Messiam suæ legi omnes universæ terræ populos subjicientem meritô eorũ omnium Regem, ipsos verò omnes sub una ejus lege congregatos, merito ejus Ecclesiam, ejusq; regnum esse. Sed in tot, ac tantis Scripturæ locis regnum Messiæ non tantum ita amplum vidimus, ut ad extremum terræ, ad terminos terræ, *à mari usque ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terrarum*, se extensurum sit, verùm etiam ejus regnum futurum sempiternum. *Stabiliam thronum regni ejus in sempiternum*. 2.Reg. *Thronus ejus sicut luna perfecta in æternum*. Ps: 88. *& super regnũ ejus sedebit, ut confirmet illud in sempiternum*. Isaiæ 9. *Et regnum ejus non corrumpetur*. Dan: 7. Quomodo imprimis regnum Messiæ poterit esse ita amplum, ut omnes Reges, omnia Regna, omnes terræ, subjiciantur, & contineantur sub imperio, & regno Messiæ? cùm Messias, ut evidentissimè vidimus, num: 19. erit pauper, despectus, & inglorius? igitur istud regnum Messiæ amplissimum, ejus est Ecclesia ex omnibus terræ populis sub una Messiæ lege congregata. Deinde quomodo Messiæ regnum sempiternum, esse poterit cum omnia regna, omnes status, omnes populi, finem habebunt, & interibunt? igitur Regnum Messiæ est

ejus Ecclesia ex populis universæ terræ in unam legem ejus adunatis & postea salvatis; quæ Ecclesia unicè, cum Messia suo in perpetuas æternitates in Cælis perennatura est. Quocirca de Messia dicitur Ezechielis 37. *& David Servus meus princeps eorum in perpetuum* Messias enim sæpè dicitur David, vel filius Davidis, quia de domo David.

Notandum quod eodem 37, Ezech: loco, hebræis promittit Deus terram Israël possidendam, & idem etiam in aliis locis, & ait eos possessuros illam terram in perpetuum, sed eo ipso patet de terra spirituali Israél, Deum loqui, nam terra Israél nudè accepta non erit in perpetuum, ut constat, verùm terra Israel, per quam num: 20. diximus fideles Messiæ, & Ecclesiam Messiæ denotari; illa sola in perpetuum mansura est; unde ubicunque Israëlitis terra antiqua, in qua Hierusalem erat, promittitur; semper intelligendum est de Israéle novo, nempe de fidelibus Messiæ, & de Hierusalem nova, & terra nova Israelis, nempè de Ecclesia Messiæ, quia ut vidimus num: 20. per *Jerusalem* Deus Ecclesiam sæpè significat, & per Israelem fideles Messiæ. Insuper Hierusalem antiquam, & populum Judaicum nunquam in statum suum restaurandū esse declamantes vidimus Prophetas, Isaiam, Hieremiam, & Amos, ut de hoc dubium ampliùs nullum esse poscit.

Quoniam vero hoc loci de Regno Messiæ præcipuè agimus, quod demonstravimus non esse

aliud,

aliud, quam Ecclesiam Messiæ ex omnibus totius orbis, ac universæ terræ populis congregatam, hinc est quod ad hoc Regnum, nempè Ecclesiam amplissimam Messiæ referendi sint omnes de Regno Messiæ prædictiones Ps: 2. *Dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ps:71. *Dominabitur a mari usque ad mare, & à flumine, usque ad terminos orbis terrarum.* Gen: 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes,* Ps: 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei*, & his similia alia Scripturæ loca. Omnes quippè gentes, & reliquiæ Judæorum in Messiæ legem, & doctrinam coadunati efficient hoc ejus regnum, seu Ecclesiam per totum orbem sparsam, & ad fines terræ diffusam. Quocirca etiam legi Messiæ subjecti, tam reges, quam populi, dicuntur eum adoraturi & ei servituri.

Huc etiam spectant vaticinia illa, quæ prædicunt Messiam bellatorem fore de inimicis suis triumphaturum, qualia sunt Ps: 109. *Confregit in die iræ suæ reges, dominare in medio inimicorum tuorum*, Ps: 44. *Accingere gladio super femur tuum potentissimè, sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent.* Num: 24. illud Balaami: *Orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Isaiæ 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium* & his similia. Quoniam autem subditur ad ultimum locum, *& erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides*

 cincto-

cinctorium renum ejus, arma noſtri bellatoris probè intelligimus, nempè Juſtitiam, & fidem; nempe legem, & fidem novam juſtitiæ, & doctrinam, qua idololatriam expugnabit, omnemque errorem, & reges atque regna, quæ idololatriæ dedita erant devincet in ſuam legem, in verum Dei cultum. His ſpiritualibus armis fide, & juſtitia bellator noſter ſpiritualis, Meſſias nempè pugnabit, & omnes ſuæ legi ſubjiciet. Nam in ſexcentis Scripturæ locis *Princeps pacis*, pacem prædicans, & pacem allaturns, & *agnus* dicitur: imò tempore ejus univerſalem in terris pacem futuram Scriptura (ut vidimus num: 14.) appromittit. Unum obſervandum nobis reſtat, non ſimul & uno tempore ad adventum Meſſiæ omnes ſtatim gentes, & populos in legem ejus conceſſuros, nam rudes nimium videremur, ſi id credere vellemus. Sed pedetentim magno tamen numero ad legem ejus, & Eccleſiam populos diverſorum Regnorum, modo hos, poſtea alios aggregandos eſſe, usque tandem omnes adducantur, & unum ovile, unumque regnum omnium ſit, *Rexq; ſuper eos, & paſtor unus omnium eorum* Meſſias.

Hæc omnia confirmare placet evidenti teſtimonio Jeremiæ cap: 31. ubi ſole clarius, Cicerone facundius, prædicit antiquum fædus, & legem Moſaicam ceſſaturam, & novum fœdus, novamque legem à Meſſia inſtituendam. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam Domui Iſrael & Domui Juda fædus novum, non ſecundùm pactum*

quod

quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam non jam antiquum fœdus, quia dicit, *novum*, non antiquum firmius imprimet in cordibus Israélis (ut quidam Judæi respondent) quia dabit *novum fœdus non secundum pactum quod pepigit cum Patribus eorum in egressu ex Ægypto;* ergo non legem antiquam Mosaicam, quam acceperunt in egressu de Ægypto, ergo novum omnino fœdus, & novam legem dabit, nempè: legem gratiæ, quam scribet in cordibus fidelium, per inhabitantem spiritum suum in cordibus, *fidelium* qui hic nomine *Israel, & Juda* denotantur: nam constat non Israeli soli dandam hanc legem, sed etiam gentibus, undè etiam hinc constat Scripturam sæpè nomine *Israelis* Fideles designare.

Cui autem tempori congruere potest tam grande opus, nempe: abolitio antiquæ legis, & institutio novæ, nisi tempore Messiæ? de quo vidimus sexcentis in locis dici; *Dedi te in fœdus populi in lucem gentium.* Isaiæ 42. *Quia à me exiet lex, & judicium meum in lucem populorum requiescet, prope est justus meus egressus est Salvator meus* & plurima his similia Prophetarum oracula, quibus prædicitur Messias, ut vidimus novam instituturus legem.

Post Prophetam Jeremiam sequitur ejus Ammanuensis, seu scriba nempè Propheta.

BARUCH.

XXIII. *Capite secundo suæ Prophetiæ prædicit Deum fore Messiam in natura humana cum hominibus conversaturum.*

Præterquam quod plurimis in Scripturæ locis Messiam viderimus magnum prædici & prædicari Regem toti mundo dominaturum, eo titulo, eaq́, ratione, quod in ejus legem, doctrinam, & Ecclesiam, ex omnibus terræ partibus Judæi, Gentes, & populi concedent & adducentur. Alio insuper titulo, aliaq́; ratione eum tantum, ac potentissimum mari, terræq́; jura impositurum Regem indicant, & declamant Scripturæ Sacræ, nempe: quia Dei Filius Deus verus Patri consubstantialis, & coëternus, Messias ille prædictus, futurus est. Vidimus etenim superius num: 4to 5. 6. 10. 11. 12. 16. 17. Messiam à Deo Patre vocari filium suum ita, ut dicat eum ex suo utero ante Luciferum genitum, ante solem, & lunam fuisse, non alibi nisi in Patre. Ps: 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te* vocem *hodie* interpretes vertunt pro æternitate. Ps: 71. *Permanebit cum sole, & ante lunam, ante solem permanet nomen ejus*, ille de Cælo à Patre *descendet sicut pluvia in vellus super terram.* Ps:88. *Ipse invocabit me Pater meus es tu, ego primogenitum ponam illum excelsũ præ Regibus terræ.* In textu Hebræo habetur *Aelion* pro voce *excelsum*, quod *Aelion* est nomen proprium Dei ut num: 11. probavimus, sed quia *primogenitus* dicitur: Dei Fili-

us indicatur. Pſ: 109. Deus Pater Meſſiæ ait: *ex utero ante Luciferum genui te.* Et ſimilia alia teſtimonia de Meſſiæ Divinitate. Quæ omnia de Meſſia dicta eſſe ſuo calculo Judæi locis citatis adducti comprobarunt.

His omnibus ſuccinit clariſſimo ſuo vaticinio Propheta Baruch cap: 2. Dei Filium mox adductis ſcripturæ teſtimoniis comprobatum Meſſiam è Cælis deſcenſurum, cum hominibus converſaturum, adeoq; noſtram humanam naturam aſſumpturum. *Hic eſt Deus noſter*, inquit *& non æſtimabitur alius adverſus eum, hic adinvenit omnem viam diſciplinæ & tradidit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Nonne pulchrè hæc concordant cum Pſ: 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, & cum iſtis Iſaiæ 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos*, quomodo veniet vidimus apud Iſaiam cap: 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, nempè: *Deus nobiſcum* per incarnationem etenim erit verè Deus nobiſcum, utpotè noſtram naturam aſſumens. *Sequitur poſt Baruch Ammanuenſem Jeremiæ, recto Scripturæ ordine propheta.*

EZECHIEL.

Prædicit Meſſiam una ſua lege, & doctrina paſturum omnes gentes, & illam legem allaturum eſſe juſtificationem.

XXIV. Attentissimè notandum est, cujus etiam allibi mentionem fecimus, nempè: Prophetas Spiritu Dei agitatos sæpissimè suis in narrationibus in aliqua materia propositis immiscere prædictiones crebras de Messia, & ejus Ecclesia. Sicut dum loquuntur de captivitatibus Babylonica, & Ægyptiaca, in quas ipsorum tempore abducebantur Judæi. Prædicunt quidem suo ordine liberationem Judæorum futuram ex illis captivitatibus, & Judæos revocandos esse ex gentibus illis ad nativum suum solum, ibiq; victuros in fertilitate, & pace: quod etiam post captivitates illas contigit. Sed his iisdem narrationibus sibi propositis immiscent continuò Dei Spiritu agitati crebras prædictiones de captivitate spirituali animarum in peccatis, & potestate Dæmonis, alludendo statim ad liberationem futuram *per Messiam* atquè ad fertilitatem bonorum operum, & salutis æternæ animarum prædicentes spiritualem Hierusalem, & terram Israel nempe Ecclesiam *Messiæ*, & spiritualem mysticumquè Israel, nempè: Fideles futuros Messiæ; & hoc præcipuè, dum de David imperaturo in perpetuum Israeli loquuntur; qui jam mortuus erat, per quem proindè *Messiam* de progenie David oriundum intelligere volebant; & etiam, dùm Isràëlem perpetuò terram Isràël possessurum, vel felicitatem aliquam, aut regnum in æternum duratura appromittunt, & his similia, quæ nullatenùs Isràëli literaliter accepto convenire possunt. Nam Isràël ex captivitate Assyriaca nun-

quam reductus fuit, sed nec reducendus est, ut Oseas ait: cap: 1. Deum non additurum ultra misereri domus Isràel, si verò de Domo Juda loquamur. Tunc enim quædam de antiquo Israelitarum statu, plurima tamen de prædicto *Messiæ* regno intelligi omninò debent, id est: de *Messiæ Ecclesia*, cui hæc apprimè convenire constat. Quamvis enim aliquam fertilitatem, & aliqualem pacem Judæi post capivitates illas habuerint, non tamen tam uberem, & vel maximè perpetuam. Undè vix non omnia talia Prophetarum dicta omninò de novo, & mystico, Israele, nempe: de Fidelibus *Messiæ*, & de terra mystica fertilissima bonorum salutarium, nempe: de Ecclesia Messiæ accipienda omninò sunt, eò quod nequè de futuro Judæorùm statu, ut sibi adulantur, & inaniter promittunt Judæi, accipi possint, cum (ut vidimus) status eorum nunquam instaurandus sit.

Exemplum horum clarissimum habemus inter plurima Scripturæ Sacræ loca capite 37. Ezechielis, ubi Deus ait: *Ecce ego aperiam tumulos vestros & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Nunquid Deus mortuis Judæis, & resuscitatis daturus est terram Israel, *& faciet eos gentem unam in montibus Israel?* ut subdit; utiquè nemo dicet sic accipiendam Scripturam. Igitur resuscitabit novum, & mysticum Isràélem, qui super mysticam *terram Jacob*, super Ecclesiam *Messiæ* servantem Dei mandata sicut Jacob servaverat, *habitabit in*

sempi-

sempiternum, sicut subditur, terra enim Jacob materialis non manebit in sempiternum, & idcirco huic mystico Israeli Messiam dabit Pastorem. *Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.* Aben Ezra etenim, Kimchi, & Thalmud, docent nomine Davidis *Messiam* semper significari, & quia Israel iste, novus & mysticus est, nempe: Ecclesia *Messiæ;* non antiquum Israelis commemorabit, illi fœdus, sed dabit, & percutiet aliud utiquè pactum. *Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis.* Si pactum pacis, & sempiternum, ergo pactum illud *prædicantis pacem* qui Messias est. *& fundabo eos, & multiplicabo eos.* Ecclesiam ex iis collectam, *& dabo eis sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.* Ecce quomodo lex, seu fœdus Messiæ sanctificationem, seu justificationem ex se afferet, quam ex se dare lex vetus nequaquam poterat. *Et sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum.* Sanctuarium antiqui fœderis per Romanos excisum nunquam juxta Prophetas instaurabitur, igitur hic novum Sanctuarium Spirituale, nempe: Ecclesia, & spiritualis Israel atque novus, nempe: Fideles Messiæ intelliguntur, in quorum unitis lege Messiæ cordibus *perpetuum sanctuarium* Deus sibi parabit, & conservabit. *Post Ezechielem sequitur quartus Majorum Prophetarum.*

DA-

DANIEL.

Facundissime prædicit Regnum Messiæ non temporale futurum sed spirituale, & sempiternum nempè Ecclesiam ejus.

XXV. CApite 7. sic habet: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & usquè ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & lingvæ ipsi servient, potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* De Messiæ regno hæc dicta esse fatentur Judæi in lib. Sanhedrin capite ultimo: in Beresith Rabba, & in Midrasch Thehillim, item Raben Ezra, R. Selomoh Jarchi, Saadias Gaon, & alij, & sanè, nam ad amussim cohærent cum iis Isaiæ locis, in quibus Messias ex Aquilone, ex Australi plaga, ex Lydia, Affrica, Italia, Græcia, ex omnibus populis, & linguis regnum, seu Ecclesiam sub unam suam legem congregaturus dicitur, ut vidimus numero 21. concordant etiam cum iis, ubi régnum Messiæ crebro dicitur fore sempiternum. Sed forsitan protervi quidam hebræi dicent Regnum Messiæ sempiternum dici, quia ad finem mundi duraturum est. Verùm evidenter falluntur, non advertentes modum loquendi Prophetæ, qui æternitatem regni Messiæ mensurat *ex potestate*

æterna

æterna ejusdem Meſſiæ, quæ cum æterna æternitate propriè dictâ ſit, utpotè *Meſſiæ* qui eſt *Deus*; prout evidentiſſimè vidimus, igitur & regnum ejus propriè dictâ æternitate æternum ab eodem Propheta dicitur, & conſequenter etiam ab aliis Prophetis, dum regnum *Meſſiæ* ſempiternum fore aſſerunt. Cùm verò terrenum nullum regnum ita æternum eſſe poſſit, ut nunquam finem habiturum ſit; omnia enim cum mundo interibunt, igitur nomine Regni *Meſſiæ* ſemper ejus Eccleſia omnino intelligenda eſt, utpote quæ ſola cum ſuo Meſſia in æternum in cælis perennatura eſt. Idem omninò capite 2. dixerat: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conſummet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quis hic non videt poſt omnia regna hujus mundi in æternum permanſurum regnum Meſſiæ, quod nullatenus aliud eſſe poteſt, quam ejus Eccleſia cum ipſo in Cælis in æternum permanſura & triumphatura.

Capite nono determinatum hebdomadarum annualium numerum ponit, poſt quas Meſſias ſeu Chriſtus occidendus ſit per eum peccatum delendū, juſtitia ſeu juſtificatio adducenda, poſt occiſum verò

Meſſiam

Messiam perpetuam Judaici status desolationem futuram esse.

XXVI. SIc enim ait capite 9no. *Septuaginta hebdomades abreviatæ sunt super populum tuũm, & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usquè ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usquè ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Primores Rabbinorum ipsa veritate coacti confessi sunt hoc vaticinium ad Messiam pertinere. R. Barachias in Beresith Rabba, R. Moses ben Nachman, R. Samuél, & alij. Sed quamvis ex protervia id negare vellent ex ipsis verbis constat illud de nullo quam *Messia* intelligi posse. Quisnam esse potest *Sanctus Sanctorum* id est omnium sanctissimus, nisi solus Messias? quis peccata hominum

delere

delere poteſt, niſi qui apud Iſaiam *vulneratus*, & occiſus eſt *propter iniquitates noſtras & cujus livore ſanati ſumus?* & quis *juſtitiam ſempiternam* adducere poteſt, niſi qui tot in locis dicitur *Juſtus & Salvator?* eo veniente implebũtur & cõplebũtur viſiones, & Prophetiæ, quia ipſe eſt de quo factæ ſunt omnes viſiones, & Prophetiæ, nempè *Meſſias*, & eo veniente *confirmabitur pactum*, ſeu obſignabitur pactum ſeu fædus antiquum quia ipſe nempè *Meſſias* adimplebit, & complebit illud & novum fœdus, ſeu novam legem inſtituet, ut in ſupradictis vidimus.

Verùm exactum hujus vaticinij examen ſuſcipiemus in ſecunda parte, ubi ex illo oſtendemus quis verus *Meſſias ſit?* qui poſt hebdomades ſeptuaginta occiſus ſit? ut ait Daniel. Quocirca nunc ad perluſtrandos Prophetas minores accedamus. *Primus recto Scripturæ ordine occurrit.*

OSEAS.

Pariter deſolationem totius ſtatus Judaici & Sacrificiorum vaticinatur.

XXVII. CApite 3tio ait Oſeas: *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim, poſt hæc revertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in noviſſimo dierum.* Daniel dixit: *deficiet hoſtia, & ſacrificium, & usque ad conſummationem*

mationem perseverabit desolatio. Unde dum Oseas dicit: *dies multos sedebunt sine sacrificio, sine altari*, illi multi dies debent intelligi usque ad consummationem sæculi, & hoc ex ipso Osea constat, quoniam subdit, quod non citius *quærent Dominum Deum suum & David Regẽ suum* nempè: Messiã qui nomine Davidis intelligitur *nisi in novissimo dierum* quod sine dubio de ultimis mundi diebus intelligi semper solet. Nam licet modo aliqui eorum ad Messiæ legem convertantur, tunc verò universaliter omnes in Ecclesiam Messiæ concedent. Interea verò verificatur, quod sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, certè non sine culpa gravissimi alicujus peccati extorres inter gentes manere debeant, usquè tandem in novissimo dierum universaliter in unam Ecclesiam Messiæ nobiscum aggregabuntur. Cap: 13. Oseæ dicitur: *ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne*: non aliter quam quia infernum spoliabit potestate, quâ genus humanúm detinuit peccato perditum. Unde cap: 14. ait: *Sanabo contritiones eorum:* nempè: ut Thargumista docet: remissio peccatorum fiet per Messiam, sicut Daniel ait: *ut deleatur iniquitas. Oseæ succedit.*

JOEL.

XXVIII. CApite 2. ait: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Eum nempè quo juxta Danielem adducetur justitia sempiterna.

Eodem

Eodem 2. cap: Joelis, *& erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem & prophetabunt Filij vestri, & filiæ vestræ* hæc tempore Messiæ eventura esse docet R. Saadias Gaon, & R. Machir, Addit Joel: *In monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio*, nempè: dum per mortem Messiæ delebitur iniquitas, ut ait Daniel. Spiritus Sanctus autem effundetur non super solos Prophetas, uti in antiquo testamento, sed universaliter super fideles Messiæ. *Sequitur.*

AMOS.

XXIX. Hic Propheta imitatur Ezechielem loquendo nempè: de spirituali tabernaculo & spirituali Israële, & spirituali fertilitate terræ Mysticæ.

Capite 9. *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit & reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumeæ & omnes nationes eo quod invocatum sit nomen meum super eos.* Certè non reædificabit Deus Tabernaculum, seu templum literaliter acceptum, cum ut vidimus ex Prophetis in æternum non ædificanda sint Sanctuarium, & civitas: igitur spirituale habitaculum tempore Messiæ in cordibus fidelium, qui nomine Israëlis sæpè significantur, sibi Deus ædificabit, dicitur Israël possessurus Idumæam, & nationes, eo quod ex Israele primum lex Messiæ exibit, ad quam Judumæi, & omnes gentes congregabuntur, ut vidimus. Nam materialis Israël nunquam in statum suum ut

pariter

pariter vidimus instaurabitur, & idcirco fertilitas illa omnis quæ Israeli promittitur spiritualis & bonorum salutarium est, conformiter ad famem quam idem Amos futuram dicit cap: 8. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Igitur Judæi ex similibus Prophetarum locutionibus minimè sibi blandiantur antiquam terram Israel se denuò possessuros, nam præterquam quod Prophetæ de terra spirituali, & spirituali Israele, & fertilitate spirituali loquantur, ex ipso Amoso constat Israelem literaliter sumptum nunquam terram suam, & pristinum statum adepturum esse, cap: 5. *Domus Isràël cecidit, & non adjiciet, ut resurgat Virgo Isràël projecta est in terram, & non est qui suscitet eam.*

ABDIAS.

XXX. IN eodem pariter sensu loquitur de mystica possessione dum ait: *Et in monte Sion erit salvatio, & erit Sanctus & possidebit domus Jacob eos, qui se possèderant* nempè: In monte Sion ipse Salvator erit, & salutifera ejus lex de Sion, & Jerusalem exibit, ad quam confluent omnes gentes, & sic per legem Messiæ, quæ primum ex Israel exibit dicitur Isràël pasturus eos, nempè: populos & gentes, quæ se possederāt; Isaias enim ait: *erit præparatus mons Domus Domini, & fluent ad eum omnes gentes, quia de Sion exibit Lex.*

MI-

MICHÆAS.

Patriam Messiæ determinat, & ejus generationem ab æterno.

XXXI. CApite 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te enim mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hunc locum Micheæ *ad Messiam* pertinere docent Paraphrastes Chaldæus, Jonathan, Thalmud in lib: Sanhedrin ult: cap: & in lib: de Paschate cap: 10. & in Midrasch Thehillim, & R. Selomoh, & R. David Kimchi; & sanè quis sit ille Dominator nisi quem terræ, & mari dominaturum tot oracula prædixerunt? & cujus egressus esse potest ab initio à diebus æternitatis, nisi qui ante Luciferum genitus, ante solem & Lunam fuisse, imò Deus, & primogenitus Dei dicitur, quem *Messiam* esse vidimus. Igitur ex Michæa evidentissimum est *Messiam* illum in Bethleem Juda nasciturum esse.

HABACUC.

Messiam infallibiliter venturum promittit, eumquè Salvatorem hominum fore.

XXXII. CApite 2do sic ait: *Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet,*

niet, & non tardabit, hic Messiam promitti docetur in Sanhedrin cap: ult: & à R. Selomoh. In oratione sua Habacuc ait: Messiam in salutem hominum egressum esse, quia Prophetæ in visionibus suis res futuras quasi factas, aut præsentes recitare solent. *Egressus, inquit, es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, seu Messia tuo.* Messias etenim ut vidimus Salvator, & salus hominum dicitur Isaiæ 51. *propè est justus meus, egressus est Salvator meus*, & cap: 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ.* Duplex itaquè modus est, quo *Messias* salvaturus dicitur homines; primo per hoc, quod homines illuminabit lege & doctrina sua in viam salutis, 2do autem & principaliùs morte, & sangvine suo Isaiæ 53: *Vulneratus est propter iniquitates nostras livore ejus sanati sumus, posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipsè voluit justificabit ipsè justus servus meus multos.* Ecce quomodo Messiæ sangvine, morte, & passione sanabimur, justificabimur, & salvabimur, quod Daniel confirmaverat dicens: Messiam occisum iri atquè idcircò per eum delenda peccata, auferendam iniquitatem, & adducendam justitiam sempiternam. Hoc grande salutis humanæ opus, causa, & ratio erat cur tã crebris vaticiniis Prophetæ Messiam Salvatorem prænunciarint. Jllum nostrum Salvatorem Habacuc vocat *Jesum* quod idem est, ac Salvator *ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in*

Deo Jesu meo. Deum simul eum fore indicans, hoc testimonium Messiæ adjudicat R. Jonathan.

NAHUM.

CApite 1mo: confirmat, quæ Isaias de Messia prædicante pacem, & auferente idololatriam cap: 52. dixerat: *Quam pulchri pedes super montes aununciantis pacem*, & cap: 9. *In die illa idola penitus conterentur.* Sic etiam Nahum cap: 1mo. *De Domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem.*

SOPHONIAS.

SUccinit aliis Prophetis, qui (ut vidimus) prædixerant omnes populos in unam Messiæ legem congregandos esse, cap: 3. *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei filij dispersorum meorum deferent munus mihi.* Sicut Isaiæ 49. *Ecce isti de longe venient.* Num: 21.

AGGÆUS.

Ex hoc Propheta, & Malachia, invictissimo argumento deducitur Messiam stante adhuc Templó 2do Hierosolymitano venisse, adeoquè protervos Judæos

frustra

frustra expectare venturum Messiam, qui eos reducat ad rura propria, ad terram antiquam Israel, & idcirco benè, & rectè diximus loca Sacræ Scripturæ, quæ videntur Judæis promittere tempore Messiæ reditum in terram Israel, esse accipienda de mystica terra Israel nempe de Ecclesia, & mysticum intelligendum quandoquè Israelem.

XXXIII. AGgæus Propheta capite 2do: Messiam, quem antecessores Prophetæ à longè quasi venturum prædicebant, ipse jam propinquum suis temporibus annunciat. Vixit tempore Zorobabelis, à quo extructum fuit Templu 2dum; quia verò Templum hoc 2dum non erat illius magnificentiæ, cujus fuerat Templum primum à Salomone ædificatum, à Nabuchodonozore autem dirutum, populus aliquali memoria adhuc retinens magnificentiam Templi Salomonici, ad conspectum Templi secundi, non jam ita magnifici ingemiscebat, & plorabat: populum hunc Deus volens consolari per Prophetam Aggæum; proximè venturum Messiam denunciavit, & ex ejus præsentia Templum illud secundum majorem assecuturum gloriam, ac habuerat primum Salomonicum. Sic enim ait: Hæc dicit Dominus exercituum, *adhuc unum mo-*

dicum est, & ego commovebo cælum, & teram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo Domum istam gloria, magna erit gloria domûs istius novissimæ, plusquam primæ. Populi lachrymæ testimonium sunt secundum templum ex se, & in se non habuisse gloriam tantam, imò potius minorem longè quàm habuerit Salomonicum. Deindè Josephus lib: 1. de bello Judaico cap: 16. scribit quidem, Herodem reparasse, & restaurasse Templum secundum, sed Regiam Herodis auctam duobus ædificiis magnificentiorem fuisse Templo secundò, nullatenùs verò memorat Templum secundum Salomonico augustius fuisse. Igitur Templum secundum mansit inferioris magnificentiæ, ac fuerat Primum, quod Salomon Regum Sapientissimus, & ditissimus omni possibili cura augustissimum reddere conabatnr. Nec etiam secundum Templum majorem gloriam ex præsentia aut Alexandri, aut Herodis, aut alicujus alterius habere poterat, quam primum habuerat ex præsentia Solomonis. Igitur cum Propheta Aggæus dicat Templum secundum majorem habiturum gloriam, ac habuit Salomonicum, ex unica & sola præsentia venturi *Messiæ* illam gloriam habere potuit, quod & apertè denotant verba illa continuatè posita: *veniet desideratus cunctis gentibus & implebo domum istam gloriâ.* Ergo ista major gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ petenda est ex præsentia *desiderati cunctis gentibus*, ecquis est

deside-

desideratus cunctis gentibus? nisi qui in vaticinio Jacobi *expectatio gentium*, & cui *servient omnes gentes & ad quem fluent omnes gentes, & in quo benedicentur omnes gentes*, quæ de *Messia* tot in locis dicta esse vidimus. Si ergo *Messias* secundo illi Templo à Zorobabele ædificato, & ab Herode restaurato gloriam sua præsentia afferre debebat; ergo illo templo adhuc stante venire debebat.

Hoc confirmat clarius Propheta Malachias, qui eundem populum super pauca magnificentia Templi secundi lachrymantem consolari volens vaticinatus est *Messiam* prope esse, ut in templum istud veniat, & illud glorificet sic cap: 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Malachias ait: *Messi* statim, seu non diu expectando ad Templum suum venturum; non possunt autem hæc sumi de templo spirituali, quia Propheta voluit Judæos consolari circa templum secundum quod aspiciendo flebant, sicut ante relata verba præmittitur. Cap: 2. versu 13. *Operiebatis lachrymis altare Domini fletu, & mugitu*, ergo ad Templum suo adhuc tempore existens: illud autem erat à Zorobabele ædificatum Templum, nempè secundum. *Dominator* autem ad id templum venturus, quem Judæi *volebant*, & expectabant, utique non est alius, nisi ille *Dominator agnus* apud Isaiam, & *Dominator in Israel*

apud

apud Michæam, & *dominaturus usquè ad fines terræ*, ab omnibus Prophætis Prædictus, & à Judæis, ac gentibus expectatus: quem *Messiam* esse evidenter vidimus. Quocirca evidentiâ convicti Maimonides in Elechod Melachim, & R. David Kimchi, & Saadias Gaon in lib: fidei hoc loci Messiam prædictum esse nobiscum fatentur, & agnoscunt.

Sed templum illud ad quod venire debebat Dominator *Messias*, & cui gloriam suâ præsentiâ afferre debebat desideratus cunctis gentibus Messias, illud inquam Templum secundum à Zorobabele ædificatum, à Tito Vespasiano, & Romano exercitu ante 1700. annos ita dirutum, & destructum est, ut lapis super lapidem non remanserit, igitur jam advenit Messias ante 1700. annos, & fuit in templo illo eique sua præsentia gloriam attulit, si Prophetæ Spiritu Sancto afflati vaticinantes mentiri nequeunt. Hic Judæis protervis omnino aqua hæret, nec tergiversandi via ulla suppetit. Sed placet hoc idem invictè Judæis adhuc remonstrare hoc argumento. Juxta Malachiam omnino ad Templum venturus est Messias, hoc nemo negare potest.

Sed si Messias non venisset ad Templum tempore Malachiæ existens, ad nullum unquam Templum venire potuit, aut poterit; quod sic probo: Templum nullum in æternum ædificabitur post destructum Templum tempore Malachiæ existens, nam Isaias cap: 25. ait: *posuisti Civitatem* & consequenter Templum in ea existens

ſtens *in cumulum ut non ſit civitas*, *&* *in ſempiternum non ædificetur*, & Daniel cap: 9. *&* *Civitatem*, *&* *Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo*, *&* *finis ejus vaſtitas*, *&* *poſt finem belli ſtatuta deſolatio* *&* *usquè ad finem*, *&* *conſummationem perſeverabit deſolatio.* Ergo ſi *Meſſias* non veniſſet ad templum tempore Malachiæ exiſtens, ad nullum unquam templum veniret, quod cum contra Malachiæ expreſſam Prophetiam dici non poſſit; neceſſe eſt *Meſſiam* veniſſe ad templum tempore Malachiæ adhuc exiſtens, cum debuerit ad templum venire.

Hic vere convictus eſt protervus Judaiſmus.

Igitur venit jam Meſſias, & quidem ante 1700. annos, nempe: ſtante adhuc Templo ſecundo ædificato à Zorobabele, & deſtructo à Tito Veſpaſiano. Quæ igitur cæcitas ſumma Judæorum? ut contra ſuorum Prophetarum Vaticinia ſibi venturum adhuc fingant *Meſſiam*, qui eos ad propria rura reducat. Cum jam advenerit, ut vidimus evidenter, neceſſe omninò eſt, ea Scripturæ Sacræ loca, quæ innuere videntur tempore *Meſſiæ* reducendum eſſe Iſraëlem ad propria rura, & antiquam terram Iſraël, neceſſe, inquam eſt illa Scripturæ loca de terra myſtica, nempe: de Eccleſia *Meſſiæ* accipienda eſſe, ad quam adducendi ſunt Judæi, ſimul cum gentibus.

Z A C H A R I A S.

Unum, & eundem Meſſiam Regem, &

paupe-

pauperem, affligendum, vendendum, atquè vulnerandum fore prædicit.

XXXIV. CApite 9. hæc ait: *Jubila Filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium Asinæ & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus à mari usquè ad mare, & à fluminibus usquè ad fines terræ.* Nonne is idem Rex *Messias* quem pariter ab aliis Prophetis prædictum vidimus *à mari usquè ad mare, & usquè ad fines terræ* dominaturum? & tamen is idem simul, & *Rex* magnus terræ, & mari dominaturus, & *pauper* & more pauperum super asinam vectus incedere dicitur. Igitur paucis verbis dicendo: Judæis distinctionem præcludit Zacharias, quia alium Divitem magnificum de Domo David oriundum *Messiam*, alium verò pauperem, & affligendum de Domo Joseph fabulantur. Sicut eandem distinctionem eis præcluserat Isaias num: 19. ubi eundem Messiam quem *exaltatum, & sublimem valde* nominavit, continuatim *inglorium, despectum, novissimum virorum* appellat. Hinc est quod evidentiâ convicti Judæi in Beresith Rabba doceant de eodem *Messia* qui Magnificus Filius Davidis creditur dictum esse aqud Zachariam, eum futurum pauperem. Unde & Saadias Gaon eundem *Messiam* apud Zachariam indicari asserit, cui Daniel capite 7mo potentiam, opes, & regnum æternum spondet. Etiam in libro Thalmudico Sanhedrin illa verba psalmi 71.

Et

Et benedicentur in ipso omnees tribus terræ, omnes gentes servient ei, ad eundem *Messiam* referri dicuntur, de quo dixit Isaias: *verè langvores nostros ipse tulit, attritus est propter scelera nostra.* Imò in eodem libro Sanhedrin docetur: *Messiam* illum Davidicum potentem à Deo pœnis affectum iri, ergo ipsis fatentibus Judæis sincerioribus contra versipelles alios, & protervos idem ipse est Messias ille Magnificus, & pauper affligendus, & etiam occidendus. Sed adquid Judæorum consensum petimus, dum duos præclarissimos Prophetas Isaiam, & Zachariam rem sat superquè clarè definientes habemus.

Zacharias cap: 13. Messiam non solum pauperem, sed cum Isaia ita despectum fore dicit apud Judæos, ut illum triginta argenteis venditurі sint. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus: projice illud ad statuarium decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci eos in Domum Domini ad statuarium.* Josephum Patriarcham fratres vendiderunt viginti argenteis, hic autem Dominus se ipsum appretiatum ait: triginta argenteis, quis potest melius personam Domini præseferre, quam *Messias:* de quo etiam David ait: *super vestem meam miserunt sortem.* Verùm capite 12. non solum venditum, sed & confixum iri *Messiam* prædicit Zacharias. *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* Sicut psalmo 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me.* Quocirca cap: 3. etiam

Zacha-

Zacharias eadem psalmi confirmat. *Et dicetur ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum, & dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Quam pulchra Prophetarum in *Messiam* concordantia. Eum non solum pauperem, despectum, sed etiam gravissimè vulnerandum, & configendum, adeoquè & occidendum esse. Quocirca & ipsi Judæi ea verba Zachariæ, Messiæ adjudicant nempè: R. Moses Hadarsan in Beresith Rabba, & R. Aben Ezra. Et quidem justa ratione, cum ea Zachariæ, & Davidis optimè cohæreant cum iis, quæ vidimus de Messia ab Isaia dici num: 19.

MALACHIAS,

Ultimus Prophetarum.

Prædicit Sacrificia veteris legis abolenda esse novumquè Deo per Messiam Sacrificium instituendum.

XXXV. QUoniam ex Malachia jam adduximus testimonium ad probandum: *Messiam* jam venisse stante adhuc templo à Zorobabele ædificato, num: 33. ideô hic nonnisi celebre ejusdem Malachiæ Vaticinium allaturi sumus, quo significantur Sacrificia veteris legis abroganda esse. Cap: 1. ita Deum alloquentem Judæos inducit: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usquè ad occasum*

magnum est nomen meum in gentibus, in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Ecce quomodo ampliùs non est Deo voluntas in populo Judaico & in cultu eorum, ecce quomodo ampliùs eorum munera, seu sacrificia non suscipiet, sed repudiabit; ideò autem antiquæ legis sacrificia repudiabit, quia novum sacrificium, novam oblationem mundam instituet. Sacrificia Veteris legis nullo modo licuit alibi peragere, & offerre, quàm in uno Templo Hierosolỳmitano, igitur Deus aliud novum sibi sacrificium, aliud à sacrificio veteris legis instituet, quia tale sacrificium, & talem mundam oblationem, sibi elegit *quæ in omni loco ei offeretur*, & non tantùm Jerosolymis; Sacrificium igitur Hierosolymitanum antiquæ legis cassabit, & consequenter ipsum Aaronicum Sacerdotium; quia vacuum prorsus? & inutile est Sacerdotium sine sacrificio, hinc est quod Deus *Messiæ* dixerit Psalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum* non secundum ordinem Aaron, sed *secundum ordinem Melchisedech*, sublato etenim Sacrificio antiquæ legis, Messias quoquè antiquum Aaronicum tollet Sacerdotium; novumq; & æternum instituet secundum ordinem *Melchisedech.* Isaias verò cap: 1. idem sic confirmat *Ne offeratis ultra Sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram.* Si igitur Deus & Sacrificia cum Sacerdotio, & festivitates, aliasquè Ceremonias veteris

legis tollet, igitur & legem ipſam veterem caſſabit, quæ maxima ſui parte in ſacrificiis, feſtivitatibus, & ceremoniis conſiſtebat.

Hinc eſt, quod Iſaias, Jeremias, & Ezechiel à Meſſia novam legem, abrogatâ veteri condendam eſſe crebris oraculis teſtati ſint, (ut vidimus) Ezechielis cap: 37. *& percutiam cum illis fœdus pacis pactum ſempiternum erit.* Iſaiæ 2. *de Sion exibit Lex.* Non ſicut antiqua de Sinai.

Clariùs autem Jeremiæ 31. *Feriam domui Iſràël, & domui Jacob fœdus novum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti.*

Ecce abrogandum eſſe antiquum fædus, ſeu legem Moſaicam, quàm Iſràëlitis Deus dedit, cum eos educeret de terra Ægypti, & novum aliud per *Meſſiam* inſtituendum fœdus, ſeu legem novam; ſed jam cæcus, & obſtinatiſſimus ſit, qui iſta non videat, & fateatur.

Vanæ prorsùs & nugaces ſunt protervorum tergiverſationes circa eludenda adducta teſtimonia; quocirca, ut indignis ſuperſedeo.

Tantum ad id quod afferunt ex Exodi 30. ad oſtendendam æternitatem legis Moſaicæ nempe: *Erit vobis hoc legitimum ſempiternum.* Reſpondeo voces illas hhhad, hhholim, lehhholim, id eſt perpetuum, non ſemper æternitatem, in ſcriptura ſignificare, ſed diuturnitatem aliquando, ſicut Gen: cap: 13. promiſit Deus Abrahæ: *Omnem terram quam conſpicis, dabo tibi, & ſemini*

tuo

tuo usquè in sempiternum, cum tamen hic vox *sempiternum* non significet æternitatatem, sed diuturnitatem, quoniam longissimo jam tempore Isràélitæ eam terram non possideant. Sic etiam de lege Mosaica dictum esse constat, utpote quam vidimus per tot Prophetas prædictam esse abrogandam fore.

Sed Judæi ex suis ipsismet Magistris convincuntur Legem Mosaicam non fore sempitetnam sed bis tantum mille annis duraturam esse. In Thalmude Tractatu Aboda Zara, seu de idololatria: sic legitur: *Sectatores Eliæ ita tradiderunt: mundus subsistit ad sex annorum millia, duobus millibus fuit inanitas, seu sine lege, duobus millibus lex, duobus millibus dies Messiæ.* Idem legitur *in Gemara ad tractatum Sanhedrin*, igitur non sempiterna futura est Lex Mosaica, quia duo ejus millia annorum jam diu effluxerunt. Et in *Midrasch Coeleth* legitur: *Legem quam homo discit in hoc sæculo vanitatem esse præ lege Messiæ.* Ergo Lex Messiæ futura est post Mosaicam. Ergo Mosaica non est sempiterna. Etiam R. Simeon in Jalcut fatetur Deum per *Messiam* novam conditurum Legem.

Jam igitur cum Malachia ultimo Prophetarum Primam operis partem concludamus, unde sit.

EPILOGUS.
PRIMÆ PARTIS
OPERIS.

PRomissis stetimus, Dei adjuvante gratiâ, libros omnes Canonicos Judaicæ gentis, seu Veteris Testamenti à Capite ad calcem lustravimus, Vaticinia de venturo Messia ad amussim universa perscrutati sumus, singula eorum aliis similibus contulimus, roboravimus, & explanavimus; justam hanc Scripturæ sensum percipiendi normam ubiquè servavimus, insuper hebraicorum monumentorum, doctorumquè Rabbinorum super quolibet vaticinio judicium concors, & haustam ab antiquis traditionem attulimus, ita ut æquus rerum censor nihil desiderare possit eorum, quæ ad rectè investigandam ex Sacris Veteris Pacti libris veram venturi Messiæ notitiam, & effigiem conferre possunt.

Cum autem non abundè debeat vera notitia, & imago venturi Messiæ imò nec possit derivari, quam ex Sacris Veteris Testamenti libris justâ Methodo, & universim perpensis, secumquè invicem collatis; Nosquè hanc Methodum ad amussim servaverimus (ut per totam hanc primam operis partem liquido constat) hinc meritò sperare, ac confidenter asserere valemus, excerptam à nobis ex totius antiqui fœderis libris venturi Messiæ Imaginem, quibuscunquè aliis veriorem, ac sinceriorem, commodioremque fore, quàm proinde commodo legentium in brevi compendio proponimus. VERA

VERA IMAGO
VENTURI MESSIÆ
In hac prima Parte Operis
Ex Vaticiniis Veteris Testamenti
DELINEATA.

MEssias ex Semine Abrahæ, Isaaci, & Jacobi oriundus num: 2. de domo, & Familia Davidis num: 11. 14. 16. 20. 24. dicitur. De pura, & intacta virgine nascetur 15. In Bethleem Juda locus est Nativitatis ejus num:31.Magnus Rex toti orbi dominatur, dicitur num: 5.6. quia Deus verus, Dei nempè Filius futurus est. Num: 5. 6. 10. 11. 12. 16. 17. & idcircò de cælis à Patre descensurus, & humanam naturam assumpturus dicitur: num: 4. 6. 15. 17. & 23. Regnum ejus Spirituale & Mysticum erit nempè: Ecclesia ex omnibus populis universæ terræ in ejus Legem congregatis composita. Annot: 2. num: 21. 22. 24. 25. Legem antiquam abrogabit, & novam instituet,ad quam omnes populos adducet.Num: 13. 18. 20. 22. 24: 35. Sacrificia etiam antiqua, & Aaronicum Sacerdotium cassabit, novum instituendo num: 12. & 35.

Messias

Messias Spirituale Regnum habiturus nempe Ecclesiam toto orbe diffusam, spiritualis Rex futurus est pacificus, & suo adventu pacem adducens num: 14. 16. & 19. bellator spiritualibus armis idola, & idololatriam prosternens & de terra auferens num: 22, & titulo *Nahum.*

Regnum *Messiæ* non terreni apparatus erit, quia Messias futurus est pauper in forma humana, & despectus, more pauperum super asinam incedens, vendetur 30. argenteis, vulnerabitur, & confodetur, & occidetur num: 8. 19. 34.

Sua morte, & Sangvine Salvator omnium peccata delens & justitiam sempiternam adducens num: 19. 32. 34. Et lege sua omnes gentes in viam salutis ducens 18. 30. atquè idcirco benedictio, & expectatio gentium dictus. Num: 2.

In adventu ejus sceptrum à Judæis aufetur num: 2. Miracula magna patrabit num: 17.

Post mortem ejus Jerusalem, & Sanctuarium diruetur, & perpetua desolatio ejusdem, & statûs Judaici futura est, num: 26. 27. 33. & 21.

Sepulchrum ejus gloriosum erit 14. ipse resurget â mortuis num: 7.

Messias sic delineatus jam advenit stante Templo à Zorobabele ædificato num: 33.

Hæc omnia *in Messiam* vi Vaticiniorum totius Veteris Testamenti convenire debere, & talem omninò *Messiam* futurum esse evidentissimè ostendimus, quæ proinde, si in uno aliquo ad amussim completa esse demonstraverimus; Eum utiquè unicè verum omnium Prophetarum vaticiniis

ciniis prædictum *Messiam* esse nemo nisi effrons negare poterit. Si totam retro antiquitatem consulamus, neminem profecto reperimus in quo producta omnia *de Messia* vaticinia impleta esse videamus, nisi *in Jesu Christo Nazareno*, si igitur omnia & singula prædicta *de Messia* oracula ostenderimus in uno *Jesu Christo Nazareno* ad amussim impleta esse; eum *Jesum Christum Nazarenum* tenebuntur Judæi nobiscum tanquam verum *Messiam* venerari, tanquam Deum verum, Dei Filium incarnatum, & totius generis Salvatorem adorare, ejusquè legem amplecti, & doctrinam salutarem. Deus æterna veritas lumen gratiæ suæ impertiri dignetur, ut hanc veritatem animis omnium manifestam reddamus, ac in 2da operis nostri parte dilucide proponamus.

FINIS

Primæ Partis Operis.

SECUNDA PARS OPERIS.

In qua dilucidè, & invictè, demonstratur: omnia in Veteri Testamento contenta de Messia vaticinia, in uno Jesu Christo Nazareno impleta esse; ideoq; Jesum Christum Nazarenum verum esse à Deo promissum, & à Prophetis prædictum Messiam.

PRÆLOCUTIO.

CUm hac in parte operis ostensuri simus, in Jesu Christo impleta esse omnia Veteris Testamenti vaticinia, omninò necesse est, ut Jesu Christi ortum, vitam, & gesta in medium afferamus; cumq; illis prædicta vaticinia conferamus. Ne verò Judæi adducenda à nobis Jesu Christi gesta, vitam, & ortum, conficta esse causentur, ipsis firma ratione demonstrandum est, concinnatam ab Evangelistis de Jesu Christi ortu, vita,

ta, & gestis, historiam omnibus iisq; evidentissimis veritatis notis prædictam esse, ut nisi vecors, & insulsus eam falsitatis arguere possit. Hoc in sequenti Capite plurimis argumentis ostendendum suscipimus. Quocirca sit.

CAPUT PRIMUM.

In quo ostenditur Evangelistas in Evangelica Historia vitæ, & gestorum JESU Christi nihil omninò falsi scripsisse, imò nec scribere potuisse.

JESUM, qui vocabatur, & vocatur Christus, temporibus Augusti Imperatoris natum, temporibus Tiberij sub Pontio Pilato Procuratore, & Herode Rege passum, verè extitisse, norunt, & noverunt optimè hucusq; Judæi ex tam ampla Christianorũ Religione, quæ non aliundè nomen auspicabatur, & auspicatur quam ab illo JESU Christo Nazareno. Præterquam quod Eum extitisse, & passum fuisse temporibus Tiberij *& Josèphus Judæus Scriptor lib:* 18. *antiquitatum Cap:* 4. *testetur*, & Evangelistis in hoc narrando succinant, & consentiant scriptores Gentiles *Svetonius in vita Claudij, & Cornelius Tacitus qui lib:* 15. *hist: ait: Auctor nominis ejus* (nempè Christianæ Religionis) *Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est.*

Evangelistæ narrant Jesum Christum natum

esse in Bethleem. Id verum esse fatetur *Celsus Gentilis scriptor* infensus Christianorum hostis. Idem constat *ex Tabulis censualibus Romanorum*, ad quas Fidei nostræ hostes provocant *Justinus appollogia 1ma num: 4. & Tertulianus in libris contra Mar ionem*, quod etiam confirmatur *ex censu illo* quem nascente Jesu Christo indixit Imperator Augustus. Scribunt Evangelistæ stellam in Ortu Jesu Christi micantem apparuisse, quâ Duce Magi ex orien e ad Eum adorandum in Judæam venerunt, Herodem regnantem in Judæa, ut Jesu Christo recens nato necem inferret, maximam infantium stragem edidisse, id ipsum Scriptores Gentiles fatentur confirmando Evangelistarum historiam. *Julianus* siquidem *Apostata* gentilismo addictissimus & Judaismo, fatetur, nato Jesu Christo sidus novum fulgens Magos ex oriente in Judæam adduxisse. *Chalcidius* Platonicus & Gentilis Scriptor in Comment: ad Timæum ait: *est quoq; sanctior, ac venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam denunciatum descensum Dei venerabilis, ad humanæ conversationis gratiam, quam stellam cum nocturno itinere inspexissent Chaldæorum sapientes, quæsivisse dicuntur ortum Dei.* Crudelem verò infantium cædem tempore Nativitatis Jesu Christi ab Herode factam his verbis Macrobius Gentilis Scriptor cap: 4. lib: 2. Saturnalium describit: *Cum audisset Augustus Imperator, inter pueros quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra biennium occidi jussit, filium quoquè ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum*

cum esse, *quam Filium.* Evangelistæ produnt miracula, quæ Jesus Christus potenti virtute patravit. Id ipsum testantur gentiles: Julianus Apostata apud Cyrillum lib: 6. spernit quidem, sed facta non negat à Christo miracula dicens: *nisi quis existimet inter maxima esse opera claudos & cæcos integritate restituere, & dæmonio correptos adjuvare in vicis Bethsaidæ, aut Bethaniæ,* Cellius itidem scriptor gentilis teste origine lib: 2. contra eundē ait: *Credidistis eum* (nempe Jesum Christum) *esse Filium Dei, quod claudos, & cæcos sanavit.* Porphirius libro contra Religionem Christianam apud Eusebium lib: 5. de præpar:Evang: Cap: 1. confitetur: *ex quo Jesus coli cœptus est, neminem sensisse publicam Deorum opem.* Et ipse Mahometes miracula à Christo Jesu edita confitetur in Alcorano,ubi etiam ait: Jesum Christum esse verum Messiam Prophetarum vaticiniis prædictum, eumq; nuncupat: *Verbum Dei, Spiritum Dei, natum ex Maria Virgine absque Virili semine Prophetam eximium.* Phlegon scriptor ethnicus relatam ab Evangelistis in morte Jesu Christi defectionem f lis, & terræ concussionem confirmat lib: 13. Olympicorum Chronicorum sic: *quarto anno Olympidis 202. maxima, & excellens inter omnes, quæ antea acciderant defectio Solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctē versus,ut Stellæ in cælo visæ sint, terræq; motus in Bithinia Urbe multas ædes subverterit.* Ecce quomodo Ethnici, & Gentiles scriptores, imò & infensissimi Christianorum hostes ipsa veritate convi-

cti maximam partem historiæ Evangelicæ nempè: de ortu, de passione, de miraculis, & miris gestis Jesu Christi suo calculo, ut veram, & ab omni falsitatis suspicione alienam esse confirmant. Quod utiquè minimè fecissent, utpote Christi, & Christianæ Religionis hostes acerrimi, nisi omnino vera hæc omnia fore, & evidentia comperissent. His omnibus & aliis, qui facilè adduci possent, unum addo omni exceptione majorem celeberrimum historicum hebræum, Josephum nempè, qui præclarum de veritate historiæ Evangelicæ, & gestorum Jesu Christi testimonium perhibet lib: 18. antiquitatum cap: 4. *Eo tempore fuit Jesus Vir Sapiens, si tamen virum eum appellare fas est, fuit enim mirabilium operum Effector, Magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosq; Judæos, multos item Gentiles ad se pellexit, hic erat Christus, quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum Crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant; apparuit enim eis tertia die redivivus, Divinis vatibus & hæc, & mille alia de eo miranda effatis, atq; ab eo denominata Christianorum natio durat usq; ad hunc diem.* Ecce quomodo Josephus Judæus manens in Judaismo, & perseverans usquè ad mortem, volens, (ut historicum decet) ipsam veritatem fateri, eadem omnino de vita, & gestis, & Passione Jesu Christi narrat, quæ Evangelistarum historia de Jesu Christo luci tradidit: ecce concordiam Judaicorum, & Gentilium

scri-

ſcriptorum cum Evangeliſtarum hiſtoria; quis igitur niſi vecors & inſulſus Evangeliſtarum de Jeſu Chriſto hiſtoriam falſitatis arguere poterit?

Genuinum hoc eſſe Joſephi Teſtimonium, & minimè à Chriſtianis aſſutum evidenter conſtat. 1*mo*. Quia omnes Joſephi codices, ſive calamo exarati, ſive typis impreſſi, quamvis vetuſtiſſimi illud teſtimonium habent. 2*do*. Cum Joſephus memoriæ prodiderit, quæ apud Judæos digna memoriâ contigerunt, imò de Jacobo, & Joanne Baptiſta locutus fuerit, ut verax hiſtoricus de Jeſu Chriſto, qui aliis celebrior erat, vera referre debeat. 3*tio*. Per hoc teſtimonium in operibus Joſephi non eſt perturbata ſeries orationis, imò appoſito loco mentionem Jeſu Chiſti facit, ubi ait de Pilato. 4*to*. Idem Joſephus lib: 20. cap: 8. Jacobum Apoſtolum elogio commendavit, & ut ejus nomen clarius redderet, ſcripſit eum eſſe Fratrem Jeſu, qui Meſſias dictus eſt. 5*to*. Conſentiunt etiam dictionis color, & locutiones familiares Joſepho. Abeant ergo, & faceſſant adverſarij hoc teſtimonium eludere volentes nulla ratione nixi. Quamvis enim Joſephus hebræus exiſtens, præclara de Jeſu ſcripſerit, id tanquam hiſtoricus verax ſecundum vulgatam tunc opinionem ſcribere debebat. Et quid mirum Joſephum talia, prout tunc fama ferebat de Jeſu ſcripſiſſe, cum Titum Veſpaſianum tametſi capitalem hoſtem Judæorum ſcripſit, vel finxit ſe credere eſſe Meſſiam. Cum igitur ut vidimus, & de Jacobo Apoſtolo præ-

clara

clara ſcripſit, cur etiam non de Jeſu Chriſto qui celebrior habebatur ? & hoc de Jeſu teſtimonium in omnibus Joſephi operibus reperiatur ? igitur cum inimici noſtri gentiles, & Judæi concordent cum præcipuis capitibus hiſtoriæ Evangelicæ de vita, geſtis mirandis, & Paſſione Jeſu Chriſti, hiſtoriam Evangelicam ab omni falſitatis nævo immunem eſſe omninò conſtare debet.

Evangeliſtæ vixerunt cum Jeſu Chriſto, & quæ ipſis videntibus Jeſus Chriſtus geſſit, literis conſignarunt, & ad nos per ſucceſſionem tam Epiſcoporum in ſuis Cathedris continuatam, quam aliornm ſibi ſuccedentium Chriſtianorum transmiſſerunt. Sicut opera Joſephi hebræi, Platonis, Ciceronis, Varronis aliorumq; continuatâ notitiâ ad poſteros, & etiam ad noſtra tempora pervenerunt; à qua antiqua ſibi ſuccedentium temporum, & hominum traditione ſicut opera Joſephi, Ciceronis, aliorumq; novimus, eorum, & ab ipſis edita eſſe; ita eadem non interpolata ſuccedentium Epiſcoporum,& Chriſtianorum usquè ad hæc tempora traditione, opera, & hiſtoriam Evangeliſtarum novimus, non aliorum quam ipſorum eſſe, etſi hanc fidem per notitiam ſucceſſivam ſibi meruerunt opera Joſephi, Ciceronis, & aliorum, ut indubitatè credantur ipſorum eſſe, cùr eam fidem non mereantur etiam opera, & hiſtoria Evangeliſtarum per ſimilem ſucceſſivam notitiam: ut pariter indubitatè credantur ipſorum eſſe. Qui Evangeliſtæ cum vixerint,

vixerint, familiaresq; fuerint cum Jesu Christo, melius utiquè, & veracius omnibus vitam, & gesta Jesu Christi referre potuerunt; Quod autem veraciter retulerint, jam vidimus; quoniam cum ipsorum historia apprimè concordant Ethnici, & Judæi scriptores, quamvis Christiani nominis hostes accerrimi. Sed fidem, candorem, & sinceritatem Evangelistarum in scribendo vitam, & gesta Jesu Christi sequentia non parum roborant argumenta.

1mo. Quis concipiat Evangelistas impostores fuisse? cum eorum modus narrandi sit absquè exaggeratione, elegantiâ, splendore orationis, artificio figurarum, quibus, qui imponere volunt, sua narrata commendare solent, imò Evangelistæ, ita candidè, ita simpliciter ea describunt, quæ sibi in gloriam, sicut ea, quæ sibi in ignominiam cedere possunt; ut crucifixio magistri, & despecta tractatio ejus, suorum etiam defectuum Petri, & aliorum confessio ingenua, quod impostores facere minimè solent 2do. Quô fine imposturâ uti debuissent? nisi ut magistri sui doctrinam sanctissimam omnibus insinuarent? Quid commodi sibi ex narratione gestorum Christi, & commendatione doctrinæ ejus polliceri poterant, nisi carceres, nisi exilia, nisi mortem ipsam? quomodo ergo possibile est, ut imposturam adhibere voluerint ad ea commendanda, pro quibus sciebant se affligendos, & occidendos fore. 3tio. Quæ de Jesu Christi morte, resurrectione, miraculis, & aliis præclarè gestis

narra-

narrabant & ſcribebant; non in aliquo angulo, aut coram paucis teſtibus facta, ſed coram tota Jeroſolyma, coram Judæis omnibus, & gentilibus à Chriſto recenter patrata eſſe, indicatis perſonis, temporibus, & locis, quorum recens apud omnes memoria vigebat indigitabant. Si falſa narraſſent, utiquè ſtatim à Judæis Chriſti, & operum ejus inimicis, falſitatis convicti, & tanquam publici impoſtores declarati fuiſſent. Quod tamen cũ nunquam fecerint Judæi ad fabricandam contra Apoſtolos calumniam, alioquin promptiſſimi, eorum hac in re altum ſilentium argumento eſt, eos nec miracula Jeſu Chriſti, nec alia ab eo geſta, quæ in hiſtoria Evangelica deſcribuntur, negare potuiſſe; quia de eorum veritate ſibi conſcij erant. *Demùm* Evangeliſtæ ſcribebant diverſis in locis, temporibus & lingvis, & tamen ſummâ concordiâ, ut omnium quatuor Evangeliſtarum unum Evangelium videatur: impoſtores autem, & falſitatis fabricatores, ſi non in eodem loco ſcribant, ſecum ſemper pugnare ſolent. Igitur Evangeliſtarum hiſtoria de ortu, vita, & geſtis Jeſu Chriſti, omnibus veræ, & candidæ hiſtoriæ notis prædita eſt, atq; idcirco ſecurè ejus narratis fidem adhibere quilibet non tantum poteſt, verùm etiam debet, niſi contra rectam rationem evidenter ire, & pugnare velit.

CAPUT SECUNDUM.

In quo incipimus oſtẽdere vaticinia veteris

teris Testamenti de Messia prolata, in Jesu Christo impleta esse, & imo quidem, quod Messias ex Semine Abrahæ, & Davidis ortum ducere debebat, ex quo semine ortus ostenditur JESUS CHRISTUS, adeoquè jam aliqua vaticinia implens.

Vidimus in ima parte num: 2. Cap: 22. Gen: Abrahæ promissum fuisse ex ejus semine oriundum fore *Messiam*, his verbis, *benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Isaaco Filio Abrahami eandem pollicitationem, sicut & Jacobo Filio Isaaci factam etiam vidimus. Jacob autem inter alios habuit filium Judam, ex semine Judæ deducitur linea Davidis, cui iterum facta fuit promissio, ex ejus semine proditurum fore Messiam Jeremiæ Cap: 23. *Suscitabo David germen justum, & regnabit rex* (uti vidimus num: 21. in 1. parte.)

Nunc ostendemus Jesum Christum ex semine Abrahæ, & Davidis, ex quo Messias oriri debebat ortum esse. Sic Matthæus Cap: 1. suum auspicatur Evangelium *Liber generationis Jesu Christi Filij David, Filij Abraham;* porrò si Christus revera non fuisset ortus ex stirpe Abrahæ, & Davidis Regis, Matthæus à Judæis in quorum oculis Evangelium scripsit, redargutus fuisset: Judæi namq; integras genealogias tàm privatim,

quàm

quàm publicè in Tabulariis Sacris, & in publicis Archivis maxima cura, ac religione asservabant, eorum præsertim, qui ex tribu Levi, vel ex tribu Juda originem habebant; ex tribu quidem Levi, ne Sacerdotium quisquam ab ea tribu alienus invaderet, (ut videre est apud Josephum *lib*: 1. *contra Appinionem*:) Ex tribu verò Juda ob *Messiam* ex ea nasciturum. Et quia promissio generalis de promisso Messia ex tribu Juda postea restricta fuit ad domũ Davidis, hac de causa Judæi singulari diligentia custodiebant Tabulas genealogicas eorum, qui à Davide Rege suum genus ducebant: (sicut testatur Julius Affricanus *in Epist: ad Aristidem, apud Euseb: lib:* 1. *hist: Eccl- cap:* 7.) Si ergo Evangelista Matthæus falsò asseruisset Jesum Christum ex Abrahamo per Davidem propagatum fuisse, confestim reclamassent Judæi, ipsumq; mendacij arguissent; certum autem est Judæos nunquam reclamasse, nec ullam super hac re Matthæo litem movisse, quamvis Christum, & Evangelistas calumniandi cupiditate æstuarent. Silentium itaquè Judæorum in re tanti momenti liquido probat eos pro comperto habuisse Christum Dominum prodiisse ex prosapia Abrahæ, & Davidis Regis. Habemus etiam ex eodem capite 1. Matthæi. *Joseph Virum Mariæ , de qua natus est Jesus , qui vocatur Christus*, sed Maria Mater Christi orta est ex stirpe Davidis Regis: *Ergo & Jesus Christus.* Nam S. Lucas cap: 2. ait: *Josephum ascendisse à Galilæa*

de

de Civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eò quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Ex quibus verbis colligunt SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus, Mariam ideò cum Josepho venisse in Bethleem Davidis gentilem Civitatem, ut juxta edictum Cæsaris nomen daret, quia ex tribu Juda, & de stirpe Davidis una cum castissimo suo sponso erat oriunda Et merito: nam si Beata Virgo non fuisset orta de stirpe Davidis, necesse haud fuisset, ut Joseph Mariam jam fætam, imò in procinctu partus existentem tanto itinere fatigaret, eamq; secum duceret in civitatem Bethleem, in qua hi solum, qui erant de Domo, & Familia Davidis profiteri debebant, juxta edictum Cæsaris: Igitur Joseph, & Maria Mater Christi, ambo erant ex eadem Domo, & Familia Davidis Regis Joseph enim dicitur Vir justus, & Maria pariter justa esse debebat, in hoc vel maximè, ut ambo observarent præceptum legis veteris, quæ tunc adhuc vigebat. Præceptum autem legis est Numerorum Cap:36. *Omnes viri ducent uxores de Tribu, & cognatione sua, & cunctæ Fæminæ de eadem Tribu maritos accipient*, igitur Joseph, & Maria subjecti adhuc huic legi debebant hoc præceptum legis adimplere; adeoquè Joseph, & Maria erant de eadem tribu. Vidimus ex Lucæ cap: 2. quod Joseph esset de Domo, & Familia David, ergo & Maria Mater Christi erat de Domo, & Familia David.

Scimus

Scimus Jeſum Chriſtum nullatenus eſſe Joſephi Filium naturalem, ſed tantum adoptivum, & Joſephum nihil contuliſſe ad generationem Jeſu Chriſti; ſed Jeſum Chriſtum opera Spiritus Sancti in Sanctiſſimo utero Beatiſſimæ Virginis Mariæ conceptum eſſe, adeoq; ſolius Bmæ Virginis Mariæ Filium eſſe, & ex Ipſa ſine virili ſemine prodiiſſe: ita enim docet Evangeliſta Matthæus cap: 1. *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto: Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Dño per Prophetã dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Igitur intacta Virgo Maria ſinè virili ſemine, & ſine ſcitu Joſephi operâ Spiritus Sancti concepit Jeſum Chriſtum verum Meſſiam, nam ſat ſuperquè omni argumentorum genere probavimus in prima parte num: 15. Meſſiam natum iri ex intacta, & pura Virgine juxta idem teſtimonium Iſaiæ, quod hic adduxit Matthæus, *ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Cum igitur nullum legamus unquam fuiſſe, qui ex intacta Virgine naſceretur, præter Jeſum Chriſtum; ipſe utiquè debet eſſe *Meſſias Emmanuel* ab Iſaia prædictus. Non auſi fuiſſent Evangeliſtæ tam confidenter,

&

& palam in medio inimicorum Jesu Christi tam prodigiosam, & extraordinariam proclamare ejus generationem, si non veritate comperta scivissent à Judæis nihil huic opponi posse, & hac ratione nullibi legimus Evangelistas in hoc asserto suo à Judæis falsi convictos, aut insimulatos fuisse. Quocirca ipse Mahometes licet Christianæ Religionis juratus hostis hanc veritatem cæteris negatis minime negavit in Alcorano dicens: *Jesum natum ex Maria Virgine absquè virili semine Prophetam eximium.* Habemus igitur duo vaticinia ad Messiam pertinentia in Jesu Christo impleta esse nempè: quod ex semine Abrahæ, & Davidis; & quod ex intacta Virgine natus sit.

Sed cum sciamus Jesum Christum ex intacta Virgine Maria, manente etiam in castissimo Josephi Conjugio Virgine, natum esse sine concursu Josephi, sine virili semine, operâ Spiritus Sancti; cur Evangelista generationem ejus texit per lineam Josephi?

Respondeo. Cum moris apud Judæos fuerit genealogias texere non per fæminas, sed per viros; hanc consvetudinem Judæorum inter Judæos sequi volens Matthæus Jesu Christi genealogiam texit per proavos Josephi Viri Mariæ virginis, probè sciens eosdem Proavos esse, & Josephi, & Virginis Mariæ de qua natus est Christus, (uti paulo ante ostendimus;) cum igitur Maria, & Joseph ex eadem Domo, & Familia Davidis orti essent, eosdem habuerunt Proavos; unde

unde genealogia Josephi, est genealogia & Mariæ, & sic vera texta est à Matthæo genealogia Jesu Christi: ut tamen Jesum ostenderet non à Josepho procreatum esse, non dixit. Joseph genuit Jesum, sicut dixerat Jacob genuit Joseph; sed dixit Joseph virum Mariæ, de qua Natus est Jesus. Igitur cum Joseph (ut vidimus) sit de Domo, & familia David, & Abrahæ, & Maria Mater Jesu de eadem Familia quoquè sit; sequitur Jesum Christum esse ex Domo, & Familia Abrahæ, & Davidis sicut de Messia promissum à Deo per Prophetas vidimus.

Apparentem autem inter Matthæum, & Lucam antilogiam in texenda genealogia Christi, remitto ad Viros doctissimos qui sat, superquè eam enuclearunt, ac dilucidarunt, præsertim noster Graveson in Tractatu de annis, & mysteriis Christi.

CAPUT TERTIUM.

In quo ostenditur vaticinium Michææ de loco Nativitatis Messiæ, esse impletum in Jesu Nazareno Nato in Bethleem.

UT bono ordine procedamus, dum de ortu Jesu Christi, & Nativitate ejus ex intacta Virgine locuti sumus, statim de loco Nativitatis ejus sermonem instituamus. Vidimus in parte 1ma num: 31. & probavimus Messiam nasciturum

turum in terra Betthleem juxta Vaticinium Micheæ cap: 5. *Et tu Betthleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël,* atqui Christus natus est in Bethleem Judæ viculo, qui ab urbe Hierosolyma sexto milliario distat, id constat Matthæi Cap: 2. *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis;* deinde ex Tabulis censualibus Romanorum, ad quas olim provocarunt Justinus in appologia 2. Tertulianus in libris adversus Marcionem. Origenes lib: 1. contra Cellsum testatur ab ipsis Christianæ Religionis hostibus ostensam fuisse Bethleemi speluncam, in qua Jesum peperit Maria. *Quod autem in Bethleem sit genitus Jesus si velit aliquis post Micheæ testimonium, & post Evangelij per Jesu Discipulos conscriptam historiam, fieri alias certior, intelligat, & in Betthleem speluncam ostendi, ubi ille sit natus, quod utiquè & in locis per celebre est, vel apud eos, qui à fide sunt alieni, famâ, & nomine circumfertur eadem & in spelunca Jesum quendam, quem adorent, & demirentur genitum esse.* hucusque Origenes loco citato. Deniquè ipsimet Judæi non negant Christum Betthleemi natum esse. sed id ultro agnoscit R. David Gantz in germine Davidis apud Huetium prop: 9.

Nec valet si quis dicat Christum in Scriptura Sacra appellari Nazarenum, & Galilæum, nam ut optimè ait S. Thomas 3. parte, quæst: 35. a. 7. ad 2. Christus in Scriptura Nazaræus appellatur, non ad significandum locum in quo natus est,

ſed quem parentes ejus incolebant, & in quo ipſe erat educatus, ex quo loco venerunt Bethleem ad ſatisfaciendum edictò Cæſaris, ubi prægnans Virgo Maria genuit Chriſtum, & iterum redierunt in Patriam ſuam Nazareth. Igitur conſtat Jeſum Chriſtum impleviſſe tertium vaticinium de Meſſia prolatum, nempè: quod naſcetur in Bethleem Juda.

CAPUT QUARTUM.

De vaticiniis Pſalmi 71. & Numerorũ 14. ad adventum Magorum in Jeſu Chriſto nato impletis.

PRobavimus num: 6. in prima Parte Pſalmum 71mum *de Meſſia* dictum eſſe, in eo habentur hæc: *Reges Arabum, & Saba dona adducent dabitur ei de auro Arabiæ.* Matthæus verò cap: 2. ait: *Ecce magi ab oriente venerunt Jeroſólymam dicentes, ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus ſtellam ejus in oriente; apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & mirrham* quoniam theſauros ſecum deferebant, magnæ ſubſtantiæ in regionibus ſuis eſſe debebant, igitur debebant ſi non magni nominis, parvæ tamen ditionis Reges, & Domini eſſe. Non cum magno apparatu Regio advenerunt ſcientes Regem à ſe adorandum pauperem fore. Eum nempè Divinitùs, & ſtella indicante agnoverunt ex illo vaticinio Balaami Num: 14. *Orietur ſtella ex Jacob.* Quod vaticinium notum fuerat in

Arabia,

Arabia, ubi Balaam edidit hoc vaticinium, quando videlicet Balaé Princeps Moabitarum eum adduxit, ut Populo Iſràélitico imprecaretur. Igitur ex Pſalmo 71, & Evangelio conſtat Magos illos ſeu Reges fuiſſe ex Arabia Felice, quæ comparatè ad Judæam ſita eſt ad orientem. Math: 2. *Magi ex oriente* Pſal: 71. *Reges Arabum & Saba* in qua Regione optimum aurum, & Thuris plurimum gignitur (ut ſcribit Plinius *lib:* 12. *hiſt: cap:* 14.) non etiam procul diſtat à Judæa, nam per camelos intra octiduum exinde Jeroſolymam iter peragi poteſt, teſte Jll: Petro de Marca *in opuſc:* de adventu Magorum. Igitur in Chriſto Jesu duo iterum impleta vidimus vaticinia nempè: Pſalm 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent dabitur ei de auro Arabiæ,* & Vaticinium Balaami *orietur ſtella ex Jacob.*

CAPUT QUINTUM.

In quo oſtenditur Vaticinia promittentia in adventu Meſſiæ univerſalem pacem futuram adimpleta eſſe in adventu Jeſu Chriſti.

DEmonſtravimus in prima Parte num: 14. Sequentia Vaticinia de Meſſia dicta eſſe nempè: Pſal: 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Iſaiæ cap: 2. *Non levabit gens contra gentem gladium.* Iſaiæ cap: 9. *Vocabitur Nomen ejus Princeps pacis.* Ex Luca autem Evangeliſta habemus cap: 2 dum B. Virgo in pro-

cinctu partus in Bethleem iret, eo tempore exiisse *edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Hæc utiquè Æcumenica descriptio orbis, fructus fuit universalis pacis, nec enim imperari, aut executioni mandari potuisset, nisi totus orbis in pace fuisset compositus. 2*do.* Idem Evangelista scribit, Angelos immediatè post Nativitatem Christi pacem suis Cantibus per àëra celebrasse his verbis. *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus &c.* Svetonius Historicus Romanus in vita Augusti cap: 22. hæc habet: *Janum Quirinum semel, atq; iterum à condita urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio terra, mariq; pace parta ter clausit.* Janum Quirinum, Templum erat Jani, quod claudebatur tempore pacis, tempore belli apertum manebat. A Svetonio Augustus ter dicitur, Clausisse Jani Templum, seu pacem conciliasse. Dio Cassius Scriptor itidem antiquus lib: 51. scribit, Augustum post victoriam Actiacam anno urbis conditæ 725. Jani templum clausisse, 2da vice idem fecisse post bellum Cantabricum, 3tio autem idem templum clausisse Augustum, nempè: pacem conciliasse Doctissimi Chronologici, & Critici, Norcius, & Pagius asserunt anno urbis conditæ 748: sicq; eo, & sequentibus annis pax universalis in orbe fuit; eo autem tempore advenit in mundum Jesus Christus Princeps pacis, nam anno urbis conditæ 749. Imperij Augusti anno 40. natus est, (ut consentiunt omnes Chronologi, nullo excepto,) is autem fuit an-

nus

nus mundi conditi 4134. Igitur Jesus Christus suo advenutu universalē pacē attulit, toti mundo, sicut de Messia in Prophetis promissum vidimus.

Superest, ut dum de adventu, & Nativitate veri Messiæ Jesu Christi loquimur, statim agamus de Jacobi vaticinio, in quo prædicitur in adventu Messiæ auferendum esse à Juda seu Judæis, sceptrum, seu Regiam potestatem. Quocirca sit.

CAPUT SEXTUM.

De celebri Vaticinio Jacobi Gen: 29. *In quo cum prædicatur in adventu Messiæ à Judæis auferendum esse sceptrum, ostenditur Jesum Christum verum esse Messiam.*

JAcobus Patriarcha viribus iam destitutus vocavit ad se omnes duodecem filios suos, ut eis Paternam benedictionem impertiret, inter quos, sic benedixit Filio suo Judæ Gen: Cap: 29. *Juda, te laudabunt Fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te Filij Patris tui, Catulus leonis Juda, ad prædam Fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi Leæna quis suscitabit eum? non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de Fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* In textu Hebraico ultimum comma sic legitur: *Non recedet Schevet de Juda, neq; Dux de inter pedes ejus, donec veniat Siloh, & ipsi obedientia populorum.*

Hoc

Hoc vaticinium in prima Part: num: 2. attigimus, sed hic examinandum suscipimus; Quid significet vox *Siloch?* Nemo meliùs, quàm primores hebræorum nos docebunt. In Thalmudico codice Sanhedrin Cap: 9. Quæritur, quod nam sit futurum nomen Messiæ? & respondetur; *Familiares R. Schela dixisse quod Nomen Messiæ futurum esset Siloh, juxta illud quod dictum sit: donec veniat Siloh.* Veteres Paraphrastæ, Chaldæi, Onkelos, Jonathan, & Hierosolymitanus; succinentibus plurimis Rabbinis Messiam nomine *Siloh* significari aperte dicunt. Sic Onkelos interpretatur verba Jacobi Patriarchæ: *usq; ad illud tempus, quo Messias veniet.* Jonathan autem sic: *usq; ad illud tempus quo veniet Rex Messias.* Idem fatetur Thargum Hierosolymitanum: his consentiunt. R. Raschi, R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi. Igitur ex primoribus ipsis Judæorum certi sumus vocem: *Siloh* significare *Messiam.* Quocirca sensus hujus Vaticinij est: *Non recedet schevet de Juda, neq; dux de fœmore ejus, donec veniat Messias.* Nunc indagare oportet significationem vocis *Schevet;* hoc nomen in genere significat *Virgam:* singulariter tamen in Scriptura accipi solet pro *virga authoritatis,* seu *sceptro,* uti Ps: 44. *Virga directionis, Virga regni tui;* Sed impudentes moderni Judæi, ne Christum agnoscant *Messiam* esse; illam vocem *Schevet* interpretantur, *de Virga afflictionis,* dicentes: non recessuram à Judæis, afflictionem donec veniat *Messias.* Sed quam falsissimè id asserant, pluribus momentis ostendo.

Imo.

1mo. Quomodo possunt dicere Patriarcham Jacobum hoc Vaticinio voluisse indicare non recessuram à Juda, seu Judæis afflictionem, donec veniat Messias. Nunquid tempore Davidis, tempore Salomonis, qui tot annis regnarunt, fuerat in Juda, vel Judæis afflictio? regnum siquidem Salomonis fuit opibus abundans, ditione augustum, pacis munere fortunatissimum, & status Judaicus florentissimus. Ergo falsum est Patriarcham Jacobum benedicendo Filio suo Juda, & successoribus ejus in ipso; per vocem *Scheveth* indicare voluisse Spiritu Prophetico Virgam perpetuam afflictionis usq; ad *Messiam.* Ergo per vocem *Scheveth* non afflictionis, sed authoritatis virgam, seu sceptrum indicavit.

2do. In hoc vaticinio Jacobæo de eo *Scheveth*, seu de ea virga sermo est, quæ spectat ad Regiam, vel Ducalem dignitatem. Nam sic habetur: *Nõ auferetur sceptrũ de Juda, & Dux* &c. Ergo relativè ad Ducem accipiendum est *Scheveth.* Duci autem convenit *Scheveth*, seu virga directionis, dignitatis, & dominationis, non afflictionis. Igitur mentiuntur sua explicatione Judæi.

3tio. Illa prædictio de perpetua afflictione non potest ullo modo stare cum eo, quod eodem loci dicit Patriarcha, videlicet: *Manum Judæ fore in cervicibus inimicorum suorum.* Ergo Judas non affligetur, sed affliget. Vox etiam *Dux* Hebraicè *Mechokek* significat Legislatorem, scribam, Dominium exercentem, (ut periti Rabbini fatentur.)

4*to.*

410. Psalmista, & alij Sacri Authores non semel vocem *Scheveth* accipiunt pro virga authoritatis, seu sceptro, ut Psal: 2. *reges eos in virga ferrea*, & Ps: 44. *virga directionis, virga regni tui*, & 70. Interpretes electi ex qualibet Tribu peritissimi Lingvæ Hebraicæ vertentes Scripturam ex Hebraico in Græcum, sensui attendentes vocem *Scheveth* reddiderunt, de summa authoritate. Hos secuti sunt primores Judæorum: sic: Onkelos vertit. *Non deficiet exercens Dominum.* Jonathan in Paraphrasi: *non cessabunt Reges, & Principes.* Thargum. Hierosolymitanum: *non cessabunt Reges.* Sic etiam legendum docent celebriores Rabbini, R. Raschi. R.Rabba author libri Beresith, & R. Maimonides. R.David. Kimchi. R. Selomoh Urbinas, & alij. Undè facessant protervi alij Hebræi in meridiè cæcutientes: Nobis autem tot momentis, & testimoniis invictè certum jam esse potest, vocem *Scheveth* significare in dicto Vaticinio *virgam authoritatis, & Regni, seu Dominationis*, ut omninò non sit alius sensus vaticinij, quam iste. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de inter pedes ejus, donec veniat Messias.*

De inter pedes ejus. Debet explicari relativè, ad priora verba: *accubuisti ut Leo, & quasi Leæna*, nempe: sicut prædam Leo inter pedes suos, ita retinet, ut nullus audeat eam ei eripere, sic Judas inter pedes, seu in potestate, ita sceptrum, & regnum tamdiu sicut Leo tenebit, donec *Messias* veniat.

Vox verò *Juda*, non est ita accipienda, ut censeatur Jacob Patriarcha prædixisse sceptrum, seu authoritatem imperativam semper permansuram usq; *ad Messiam* in sola Tribu Juda. Nam ex Scriptura Sacra constat *Moysen*, & *Josue*, qui rexerunt populum, & summam potestatem exercuerunt, non fuisse ex tribu *Juda:* Sed Moyses fuit ex tribu *Levi*, & Josùé ex tribu *Ephraim*. Inter judices postea, qui summam potestatem exercuerunt, duo tantum fuere ex tribu Juda, videlicet: *Othoniel*, & *Abesan*. Et post captivitatem Babylonicam supremum Dominium, & Virga directionis fuit penes Pontifices, qui fuerant ex tribu *Levi*. Igitur Patriarcha Jacob non ita Judæ sceptrum, seu virgam directionis promisit, ut semper in sola ejus tribu maneret, sed quia nobilior semper inter alias fuit Tribus Juda, & quia Prophetico spiritu Jacob prævidit ex Juda Filio suo denominandam fore totam Gentem Judaicam, sicut defacto nominabatur, & nominatur, ideoq; in Juda Filio suo toti genti Judaicæ prædixit hanc veritatem Propheticam, quod nempè: à Juda, seu gente Judaica à Juda denominatâ, non auferetur sceptrum, seu suprema potestas dominij, ita, ut semper ex gente Judaica aliquis sit Dux, vel Imperium exercens, qui habeat virgam directionis in populo Judaico, donec veniat Messias & *ipse erit expectatio gentium.*

Sed *Jesus Christus* Natus est eo tempore, quo sceptrum, seu virga directionis, & Regia, vel

Duca-

Ducalis dignitas non solum à Tribu Juda, sed etiam à tota gente Judaica ablata est, transiitq; ad alienigenam, ergo *Jesus Christus* debuit esse *Messias* à Jacobo prædictus. Nam Jesus Christus natus est Herode regnante in Judæa, sicut legitur *Math:* 2. Et cuilibet notum est: Herodes autem fuit alienigena, & nullatenùs ex gente Juda ea oriundus: Josephus enim *lib:* 14. *antiq:* & *lib:* 1. *de bello Jud: Cap:* 25. *asserit Herodem Antipatri Filium genere Idumæum fuisse item lib:*15. *antiqu:* ait: Herodem, postquam occiso Antigono ultimo ex genere Judæorum Principe à Romanis Rex Judææ confirmatus fuit, Judæorum instituta peregrinis ritibus violasse, Davidis sepulchrum reclusisse, eos omnes interemisse, qui ex stirpe erant Regia oriundi, & omnes libros, qui de Judaicorum Regum genealogia conscripti erant, conquiri, & comburi jussisse; ne videlicet: genti Herodianæ, utpotè quæ nec ex Davidis familia, nec ex Judaico Genere prodierat, aditus ad Regnum præcluderetur. Deindè quomodo potuit esse ex genere Judæorum, qui primores Judæorum idcircò concclusit, & Sorori suæ Salomæ jussit, ut post suam mortem occiderentur. Ex his itaq; momentis, & publica Judæorum fama constat Herodem alienigenam Idumæum fuisse, sed illo Regnante Christus Jesus natus est, (ut cuilibet constat,) ergo dum sceptrum, seu potestas regia, aut Ducalis non solum à Juda, sed à tota gente Judaica ablata est, & ad alienigenam transiit, natus est *Jesus*

Christus

Christus Messias prædictus à Jacobo. Scio quosdam esse Theologos, qui putant illud Jacobi oraculum. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Messias.* Non fuisse re aptè completum regnante Herode, sed eo duntaxat tempore, quo omnis Magistratus civilis, & Hierarchicus apud Judæos abolitus est, quod quidem contigit anno nati Christi 70. quando videlicet: capta per Titum Imperatorem Jerosolymâ, & solo æquatâ, Templum quoq; funditùs dirutum est. Verùm & si ipse non inficias eam, Judæos non destitisse efficere populum distinctum à reliquis gentibus, eosq; leges, & mores suos servasse, donec à Tito vastati, per totum orbem dispersi sunt: Contendo attamen, sceptrum, seu Regiam, & supremam potestatem à tota Judaica gente fuisse sublatam tempore Herodis, qui alienigena Regnum Judeæ Romanorum authoritate invasit, tunc enim Judæi Regem non jam Judæum, sed Idumæum Herodem habuerunt, completumq; est oraculum Jacobæum: *Non aufertur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Messias*, quo oraculo prænuntiare voluit Jacob: Sublato semel à gente Judaica sceptro, & ad alienigenam translato, venturum Messiam.

Hoc argumentum Judæorum jugulum petit. Inficiari siquidem non possunt, Regiam potestatem, ex tota gente Judaica regnante Herode fuisse ad alienigenam translatam, seq; omnes post Cladem Jerosolymitanam fuisse quo quo versum dissi-

diſſipatos, alienis parere coactos legibus, nihil eorum prorſus habentes, quibus conſtat Regia, aut Ducalis poteſtas, puta; jus reos morte plectendi, belli denuntiandi, ac gerendi, monetam cudendi, leges ferendi: Imo inviti licèt, nunc experiuntur ſe tanquã viliſſimos contemptui, & ludibrio haberi, ſine Rege, ſine Duce, ſine ſacrificio exules in ſumma rerum omnium penuria vivere. Igitur tempore Herodis, quando ſceptrum, & regia, atq; ſuprema omnis poteſtas ablata eſt à Judaico genere, & tranſiit ad alienigenam, & diſſipatio ſtatus Judaici cæpit, tunc juxta oraculum Jacobi naſci debuit *Meſſias*; ſed quis ille *Meſſias* inter omnes, qui tunc naſcebantur, & crèverant, eſſe poterat? niſi *Jeſus Chriſtus?* in quem vidimus jam, & alia vaticinia adamuſſim concurrere, uti: quod juxta *Michæam* in Bethleem natus ſit, quod juxta *Iſaiam*, ex intacta Virgine prodiit, quod aurum ex Arabia juxta *Pſalmiſtam* ei allatum ſit, quod in ejus adventu pax univerſalis, juxta eundem *Iſaiam* interris viguit; quod ſtella apparente juxta *Balaamum*, magis demonſtratus fuerit, Deinde vidimus Joſephum ipſum lib: 18. ant: de Jeſu Chriſto teſtificari, eum plurima miracula patraſſe, quibus ſe *Meſſiam* fore comprobavit, quocirca Joan: 2. dicitur: *Crediderunt in nomine ejus videntes ſigna ejus, quæ faciebat*: in quo nam alio tunc temporis ſimilia completa, aut viſa ſunt? verùm in progreſſu operis cætera omnia vaticinia in Jeſum Chriſtum collimare videbimus, adeoq;

eum

eum esse *Messiam* non oraculo tantum Jacobæo prædictum, sed omnibus Vaticiniis figuratum.

Obtrudunt Judæi excogitatum *R. Beniamin* in eorum solatium commentum, qui in itinerario suo, se dicit in urbe *Bagdad* in Asia vidisse multa millia Judæorum ab hominibus aliis, multis solitudinibus separatos, ubi habent Regem suum de tribu Juda oriundum.

Sed quam falsum id sit, ex eo patet; quod Judæus ille nunquam eô pervenire potuit, quo & Missionarij nostri, & Angli, Hispani, aliæquè gentes Europeæ, tùm navigatione cùm peregrinatione pervenerunt, & tamen nemò omninò hucusq; fuit, qui vel minimam notam de conficto illo Rege, Judæorumq; regno, & principe indicet. Imò & doctissimi, peritissimiq; Chronologi totum describentes orbem, omnesq; angulos enumerantes nihil horum memorant. Confinxit igitur R. Beniamin, ut eluderet argumenta Christianorum. Deindè quomodo Beniamin asserere valet Principem illum suum esse de tribu Juda? cum post expugnationem Hierosolymorum, & dispersionem huc, illuc, Judæorum permixtæ adeò sint Tribus, ac promiscuè confusæ familiæ, ut earum Origines, aut genealogiæ, ne levi quidem suspicione inter nosci possint. Sincerius rem fatentur principaliores Judæorum Doctores, nempè: *R. David Kimchi* magnæ inter illos authoritatis explicans, Caput 3. Oseæ, ubi dicitur: *Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari,*

tari, & sine ephod, & sine Theraphim super hæc ait D. Kimchi. *Hi sunt dies exilij, in quo hodie sumus nec Regem, nec Principem ex Israele habemus, sed in potestate gentilium sumus, & in potestate Regum ipsorum, & Principum ipsorum.* Alter doctissimus Judæorum Rabbinus Abrabaniel in expositione Capitis 33. Isaiæ ait: *præterea meminit Isaias tertij generis malorum, exilij nempè, quod penes Israëlitas non sit Regnum, nec Dominium, nec sceptrum Judiciale.* Ecce quomodo sceptrum, & potestas suprema ablata est à Judæis, jam vento Messia; ut dixit in oraculo suo Jacobus. Ecce quomodo idem fatentur primores Judæorum minimè recurrentes ad confictum Beniamini Regnum Asiaticum.

Additamentum ad Caput 6tum.

SEd placet Judæos convincere domesticis, quorum in prima parte mentionem fecimus, documentis. In Thalmude trac: Aboda, Za a, legitur: *Sectatores Eliæ ita tradiderunt: Mundus subsistit ad sex annorum millia, duobus millibus fuit inanitas, duobus millibus Lex, duobus millibus dies Messiæ.* Duo millia inanitatis, & duo millia Legis, actu transierant, dum natus est *Jesus Christus*, nam secundum omnes Chronologos anno 40. Imperij Augusti, id est: Anno mundi 4113. natus est *Jesus Christus*, ergo ipse fuit *Messias*, quoniam & alias notas veri Messiæ habet.

Dicunt

Dicunt Judæi propter peccata dilatum esse *Messiam*, & tempus adventus ejus.

Sed Dei decretum non est mutabile, si semel juxta Eliã promisit *Messiã* post 4000 annos, post illos finitos venire debuit. Peccata impedire ejus adventum non possunt, quia *Messias* propter delenda peccata principaliter missus est.

Testimonium Gentilium.

VIrgilius qui ante Christum vixit paucis annis, narrat suo tempore percrebuisse famam adventuri magni alicujus Regis, unde Sibyllarum carmina legens, in illis eum Regem prædici testatur, sed Sibyllarum Prophetiam ex adulatione applicat Filio Pollionis suo-tempore nato. Sic habet Eccloga quarta. De Sibylla Cumæa.

Ultima Comæi venit jam carminis ætas
Magnus ab integro sæclorum vertitur ordo
Jam redit, & Virgo, redeunt saturnia sæcla
Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Cum Virgilius Ethnicus ante Christianos vixerit, & testetur à Cumæa Sybilla prædictum esse descensurum è Cælo, & ex Virgine nasciturum Filium, utiq; Sybilla *Jesum Messiam* prædixit qui fuit è Cælo. Cicero quoq; Ethnicus ante Christum florens meminit carminum Sybillæ, & testatur famam fuisse adventurum esse magnum Regem, *de Divinatione lib: 2. cap: 54 Sybillæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres falsa quædam nuper homi-*

num

num famâ dicturus in senatu putabatur, eum quem regem revera habebamus appellandum esse quoq; Regem, si salvi esse vellemus. Ergo licet Cicero nolit admittere explicationem horum versuum, testatur tamen famam viguisse in Sybillinis versibus prædictum esse illis temporibus Regem magnum Salutarem adventurum. Svetonius Ethnicus in vita Augusti cap: 94. ait: *ante paucos quam nasceretur menses Augustus, prodigium Romæ factum publice author est Julius Marathus, quo denuntiabatur Regem populo Romano naturam parturire; Senatum exteritum censuisse, nequis illo anno genitus educaretur.*

Sed potissimum Judæos invaserat illa opinio, instare tempus, quo toti orbi dominarentur. Rem narrant scriptores Romani. Tacitus lib: 4. hist: cap: 13. *Pluribus persvasio inerat Judæis, antiquis Sacerdotũ libris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectiq; Judæâ, rerũ potirentur.* Hoc vaticinium in libris Hebræorum contentum sic etiam refert Svetonius in Vespasiano: *percrebuerat oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Josephus lib: 6. de bello Jud: memorat,* illud oraculum in sacris literis repertum apud Michæam, *ex te exiet Dux futurus*; ergo liceat concludere, pro demonstrato haberi posse Jesum eo tempore natum, quo omnia portendebant *Regem Messiam* nasciturum: sub Augusto enim Imperatore, dùm fama illa prædicta percrebuerat, ut tunc nasceretur Rex ille magnus futurus,

natus fuit *Jesus Christus*. Quam famam, & ex Sybillis, & ex Judæorum tum temporis suæ ex Vaticiniis opinionis promulgatione didicerunt gentiles, & Romani: Sed malè suas scripturas intellexerunt Judæi, ex quibus Regem terrenum promulgarunt, cum ex iis Scripturis invictè ostenderimus in prima Parte *Messiam Regem Spiritualem* per legem suam toti Orbi dominaturum fore: & talis Rex fuit *Jesus Christus* tùm temporis Natus.

CAPUT SEPTIMUM.

In quo ostenditur: Vaticinia illa, quæ Messiam Deum, seu Dei Filium fore promittunt, impleta esse in JESU Christo.

EVidentèr ostendi num: 5. 6. 10. 11. 12. & 16. *Messiam DEUM*, & Dei Filium fore ex sequentibus textibus nempè ubi Psal: 2. Pater æternus *Messiæ* ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ubi vox *hodie* pro æternitate summitur, Psal: 109. *ex utero ante Luciferum genui te*, quo Psalmo *Jesus* ipse convicit Pharisæos *Messiam* Filium Dei fore, *ut nemo potuerit ei respondere Verbum*. Math: 22. Similia produximus ex Psal: 88. ubi Deus de *Messia* ait: *ipse invocabit me Pater meus es tu; Primogenitum ponam illum excelsum, Aelion præ regibus terræ*. Isaiæ 63. *generationem ejus quis enarrabit*. Micheæ 5. *egressus ejus ab ini-*

 tio

tio à diebus æternitatis. Isaiæ 9. *Admirabilis, Deus fortis.*

Eundem *Messiam* Dei Filium de Cælo descensurum & humanam naturam assumpturum ostendimus num: 4. 6. 15. 17. & 23. his testimoniis. Psalm 71. *descendet sicut pluvia super terram.* Isai: 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel; seu Deus nobiscum.* Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos.* Job 19. *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Baruchi 2. *Hic est Deus noster, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Quos omnes textus ostendimus in 1. p. numeris citatis ab ipsis Judæis *ad Messiam* referri: igitur *Messias* debet esse Deus; *Dei* nempe *Filius* in humana natura apparens, & inter homines conversans. Uno jam eventu ostendimus *Jesum Christum Dei Filium* esse, eò quod ipse solus ex intacta Virgine natus sit; & idcircò ei conveniat vaticinium Isaiæ. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen Ejus Emmanuel;* quod Nomen significat: *Deus nobiscum*, igitur *Jesus* fuit *Deus*, nempè: Dei Filius *nobiscum* in carne assumpta.

Matthæi 3. A Deo Patre ecce vox de cælis dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Hoc *Jesu Christo* dictum nonne apprimè concordat cum his *Messiæ*, à Deo dictis, psalm 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* & cum illis 2. Reg: *& ipse erit mihi in Filium.*

Mathæi 8. Jesu eunti in Regionem Gerasenonorum

rum ex obſeſſis Dæmonia urgente Deo teſtimonium dederunt, & clamaverunt dicentes: *quid nobis, & tibi Jeſu Filij Dei; veniſti huc ante tempus torquere nos?* Mathæi 14. *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es.* Mathæi 7. *Centurio, & qui cum eo erant, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant timuerunt valdè dicentes: Verè Filius Dei erat iſte.*

Iſta publice inter Judæos fiebant, & Evangeliſta Mathæus publicè inter Judæos ea teſtabatur, & tamen nemò Judæorum, falſitatis Mathæum arguebat; igitur verùm eſſe debet *Jeſum* communiter habitum fuiſſe *Filium Dei.*

Mathæi 16. Reſpondens Simon Petrus dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, reſpondens autem Jeſus dixit ei: quia non caro, & Sanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Confirmat *Jeſus* Petri dicta nempe: ſe eſſe Filium Dei, & ſtatim ſicut alibi ſæpè, Patrem ſuum nominat Deum, qui eſt in Cælis, ut correſpondeat illis quæ Pater æternus *Meſſiæ* Pſalm 88. dicit: *ipſe invocabit me Pater meus es tu, ego primogenitum ponam illum* & his 2. Reg: *ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.*

Agnoverunt Judæi optimè, quòd *Jeſus Chriſtus* ſe non adoptivum filium Dei diceret, ſed Filium Dei naturalem unius & Æqualis naturæ cum Patre: nam Joan: 10. hæc habentur. *Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei, ego & Pater unnm ſumus, ſuſtulerunt ergo Lapides Judæi ut Lapidarent*

cum tu homo cum sis, facis te ipsum Deum, ergo Judæi agnoverunt quod *Jesus Christus* se naturalem Dei Filium dixit, nempe: eo modo quo Psal: 109. Deus *Messiæ* dixit *ex utero ante Luciferum genui te. Jesus* autem hanc eorum opinionem non redarguit, sed confirmat quod verè Filius Dei naturalis sit, nam statim ita Judæos alloquitur: *quem Pater Sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, credite operibus, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ecce quomodo Jesus Christus Confirmat se esse *unum cum Patre* nempe: Æqualis, & ejusdem naturæ cum Deo Patre, & hoc probat ex operibus miraculosis, quæ non humanæ, sed Divinæ Virtutis effectus sunt. Miracula itaq; stupenda, & magna fecit *Jesus Christus* in Confirmationem suæ Divinitatis unius & ejusdem cum Patre, seu ad probandum se esse Filium naturalem Dei, unius naturæ Divinæ cum Patre. Si autem vera miracula fecit in comprobationem quod *unum sit cum Patre*, sequitur quod omninò, & infallibiter debuit esse *unum cum Patre* seu unius cum Patre naturæ Divinæ. Nam miracula vera nonnisi virtute Divina fieri possunt, si ergo vera miracula fecisset in confirmationem quod sit *Deus*, sicut Pater seu *unum cum Patre*, & ita revera non fuisset, tunc miracula à Deo, seu virtute Divina fuissent facta in testimonium falsitatis, quod

cum

cum fieri nequeat, sequitur si *Jesus* vera miracula fecit in Confirmationem quod sit *unum cum Patre*, seu ejusdem naturæ cum Patre, debuit omninò esse unius Divinæ naturæ cum Patre, & Dei Filius naturalis, sicut de *Messia* promissum, & prædictum esse supra videbimus Quod autem *Jesus Christus* vera miracula fecerit nunc probandum suscipimus, & quidem peculiari Capite.

CAPUT OCTAVUM.

In quo ostenditur Jesum Christum implevisse Vaticinium Isaiæ, in quo Messias *dicitur, patraturus magna, & plurima miracula, & quia Jesus Christus Judæis ait: ut ex operibus, seu miraculis ejus cognoscant eum esse unum, seu unius naturæ cum Deo Patre, sequitur miracula, quæ fecit in testimonium Divinitatis ejus facta esse.*

IN prima parte num: 17. ostendimus *de Messia* dictum esse illud Isaiæ 35. Cap: *Deus ipse veniet, & salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut Cervus, Claudus: & aperta erit lingua mutorum,* quod Vaticinium in se impletum fuisse ostendit *Jesus Christus Mathæi* II. dicens discipulis Joannis. *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis;*

dictis; Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, Surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. In oculos ipsis dicit: quæ miracula ipsi vidistis à me facta, renunciate Joanni, quomodo tam præfractè dicere poterat, nisi palam omnibus fuisset eum multa, & patentia miracula fecisse. Hinc est quod Evangelistæ refferant quocunq; *Jesus* iter faceret, ægros debiles, & omni morborum genere laborantes uno verbo, unoq; momento reddidisse incolumes, adeò ut illi, qui omnibus membris capti erant, receptis actutùm viribus, lectulos suos ipsi asportarent, in quibus fuerant paulò ante delati, claudis verò non modo gradiendi, sed etiam currendi dedisse facultatem, cæcorum à nativitate oculos in pristinum aspectum, mutorum linguas in eloquium solvisse, surdorum patefactis auribus insinuasse auditum, & hæc non clàm facta, aut à longe, sed coram tota Jerosolyma, coram tota vicinia ejus nominatis Personis locis, & circumstantiis, ipsis aspectantibus Judæis in oculos obtruserunt Evangelistæ, uti & revocatos esse ad vitam Filium unicum viduæ in Civitate *Naim*, Filium *Jairi* Archisinagogi; *Lazarum*, jam à triduo in sepulchro fætentem, & à *Jesu* in *Bethania* à mortuis suscitatum, à plurimis testibus visum, cum quibus etiam manducavit & miscuit colloquia. Si hæc vera non fuissent, nullo negotio scire statim poterant Judæi Jerosolymis, & in Vicinia existentes, & confestim, ut erant in Christum ejusq; discipulos ira, & odio perciti,

Evan-

Evangeliſtas falſi redarguiſſent, eosq́; tanquam infames, & publicos impoſtores totius nationis Judaicæ teſtimonio declaraſſent; quod tamen cum nunquam fecerint Judæi ad fabricandam contra Evangeliſtas, & Chriſtum calumniam, alioquin promptiſſimi; eorum hac in re altum ſilentium argumento eſt, miracula illa verè à Chriſto facta fuiſſe, utpotè de quorum veritate ipſimet ſibi conſcij erant.

Sed & celeberrimus, ac ingenuus Judæorum hiſtoricus Joſephus, & ipſe Judæus *lib:* 18. *Antiq: capit:* 4. fatetur *Jeſum Chriſtum* plurima miracula patraſſe dicens: *Fuit hoc tempore Jeſus vir Sapiens, ſi tamen virum eum dicere fas eſt, erat enim mirabilium operum effector*, hanc veritatem confeſſos eſſe infenſiſſimos licet Chriſtiani nominis hoſtes vidimus capite imo, nempe: *Julianum Apoſtatam* & alios; igitur undequaq́; certum eſt *Jeſum Chriſtum* plurima, & magna miracula patraſſe.

Quòcirca cum Judæi ea inficiari non poſſent, magicis artibus à Chriſto Domino miracula facta calumniabantur, ſeu quod idem eſt: in Belzebub Principe Dæmoniorum patrata effutierunt.

Verùm hæc Calumnia multis Argumentis convellitur. *Primo*, quia Chriſtus Dæmones expellere non potuiſſet, niſi eos virtute Divina viciſſet; nam legimus in Evangeliſtis, quod ſæpe Chriſtus Dæmones ex obſeſſorum corporibus invitos ejecerit; unde Mathæi 8. Dæmones clamave-

maverunt *quid nobis, & tibi Jesu Filij Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* *2do* nulla Christo, & Sathanæ tam in opere quam in effectu fuit convenientia, seu affinitas, sathanas quippè dispergere cupiebat, *quos Christus colligiebat*, *in hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli*, inquit Joannes Evang: *cap:* 3. *3tio.* Christus sæpiùs coram innumera Judæorum turba mortuos ad vitam revocavit uti *Lazarum* jam fætentem, & tamen postea cum hominibus conversantem, & etiam Episcopum factum, in cujus resuscitatione idcircò sine ullo dubio nullæ præstigiæ esse potuerunt, sed sola Dei virtus Omnipotens in ea reluxit. Deindè *Jesus* mare non solu , sed cum discipulis calcavit, procellas sedavit; Aquam in Cana Galileæ præsentibus Convivis inspectantibus famulis in generosum Vinum convertit, & ex quinque panibus, quinque hominum millia in deserto satiavit.

Quæro igitur quid hic potuerit ars magica moliri, quæ nihil veri, ac solidi ostentare potest? potuit ne Christus quinque hominum Millibus, totiq; Judæorũ turbæ persvadere, se vidisse quod non viderant, & se manducasse, quod non manducaverant? potuit ne Christus persvadere Architriclino, aliisq; Convivis in nuptiis factis in Cana Galilæa aquam fuisse conversam in vinum, si revera non fuisset conversa?

4to. Si Christus artium Magicarum, aut Dæmonis ope miracula edidit (u effutiunt Judæi.) quorsum igitur Magiæ non est accusatus in Judicio?

dicio? Cur nefandi illius criminis non eſt convinctus à Scribis, & Phariſæis, qui nihil alioqui intentatum reliquerunt ut Chriſtum atro Carbone notarent, ac Calumniis lacerarent.

Igitur ſi hæc ſtupenda, & quam plurima miracula *Jeſus Chriſtus* non potuit facere ope Dæmonis, aut ope Magiæ igitur certum eſſe debet eum miracula illa feciſſe virtute Divina, nam repentina ſanatio cæcorum, claudorum, aridorum, ægrotantium, & poſtea in ſanitate permanentium ſuperat omnem virtutem Creatam, ſicut & repentina ſuſcitatio mortuorum, & eorum poſtea durans vita. Quocirca cæcus à nativitate, *à Dhriſto Jeſu* illuminatus Joan: cap: 9. exclamavit coram omnibus: *à ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati, niſi hic eſſet à Deo non poterat facere quidquam*, quod *Jeſus* ſola virtute Divina hæc faciebat miracula, patet etiam ex modo faciendi; Si quidem ſolo nutu, & imperio miracula operabatur præditus utpotè virtute Divina, quo circa Lucæ 6. dicitur: *quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes.*

Cum igitur *Jeſus Chriſtus* virtute Divina tam mira, & tam multa fecerit miracula, & dixerit Judæis, ut ex illis miraculoſis operibus colligerent, Eum eſſe *Filium Dei* ita, ut unum ſit cum Patre, nempè unius æqualisquè naturæ, & virtutis cum Deo Patre, manifeſtè patet Eum miracula virtute Divina, in teſtimonium ſuæ Divinitatis feciſſe: ergo omninò debuit eſſe *Deus;* nempè: *Dei Filius naturalis*, quia alias Divina

virtus,

virtus, & Deus concurrisset ad testimonium falsitatis, quod dici nequit. Quo circa palam Judæis dixit Joannis 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre,* quid clarius?

Igitur *Jesus Christus* implevit vaticinia Isaiæ, & aliorum Prophetarum, in quibus *Messias* prædicitur esse *Deus & Dei Filius*, & patraturus plurima miracula.

Narrat Clarissimum Ordinis Prædicatorum lumen Raymundus Martini in *Pugione Fidei* cap: 8. Judæos commentum excogitasse, quod nempè: extiterit in Templo Hierosolymitano Lapis, cui olim Arca imponebatur, in eo lapide descriptum fuisse nomen Dei, cujus ea vis erat, ut quicunquè illud didicisset, & memoriæ mandasset, par esset omnibus eliciendis prodigiis. Cum ergo pertimescerent Sapientes ne quis ea facultate abuteretur, canes æreos portæ apposuisse, qui hac arte erant fabricati, ut si quis memoriæ mandato Dei nomine è Sacrario egredi vellet, magnis eorum territus latratibus, Sacri nominis è vestigio oblivisceretur. Contigit autem (inquiunt,) ut Christus quadam die in templum ingressus Sacrum Dei nomen in Membrana conscripserit, servaverit, & postea perlegerit, ac dein miracula tanta ediderit.

Sed fabula illa præterquam quod ipsa sui narratione refutata maneat, quid enim illi canes

latrati-

latratibus memoriæ nocere poterant, aut à quo tali modo fabricari? cur hujus nihil meminit Josephus exactissimus rerum Judaicarum Scriptor. Cur vestri Principes o fabularum excogitatores Judæi! cur inquam Principes vestri, & summi Sacerdotes, dum viderunt sub obsidione Romanorum se omnes in periculo mortis, & ultimæ miseriæ versantes non accesserunt ad eum Lapidem, & simili quo Christus modo, vel etiam destructis canibus nomen Dei memoriæ mandarunt, quo miranda opera patrarent abigendo hostes, & se ab imminente excidio liberarent, atquè in vita se, & totam gentem conservarent. Apage igitur cum fabula obstinatissimum Judæorum genus. Et quoniam perfidi Judæi tam manifestis miraculis *Jesu Christi* fidem adhibere noluerunt, suæ reprobationis nullam omninò excusationem habituri sunt, prout *Christus* ait: Joannis Cap: 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Vel illud Judæis magni instar miraculi esse deberet, quod ad prædicationem Discipulorum *Jesu*, qui piscatores, indocti, viles, omnibus exosi erant, tot præclaræ gentes tot Doctæ, tot eruditæ nationes, audientes nonnisi de miraculis *Christi* omnes in ejus abierunt fidem, & doctrinam, Judæi verò videntes miracula, eisquè credere nolentes, à Deo deserti, variis Calamitatibus oppressi finem miseriarum suarum non conspiciant.

CAPUT

CAPUT NONUM.

In quo ostenditur: Vaticinia omnia, quæ Messiam declarant Magnum Regem, toti Orbi dominaturum, impleta esse in Jesu Christo.

QUoniam in præcedenti Capite evidentèr demonstravimus *Jesum Christum, Deum verum,* nempè: *Dei Filium* ejusdem cum Patre naturæ esse, Dominum Cæli, & terræ; perspicuè statim intelligimus *Jesum Christum* eum *Messiam* esse, qui dicitur in Prophetis Magnus Rex futurus toti Orbi dominaturus, hinc ad *Jesum Christum,* utpotè Filium Dei naturalem Dominum Cæli, & terræ spectant omnes, illæ Prophetiæ. Psal: 2. *Filius meus es tu, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal: 71. *Dominabitur à mari usquè ad mare, & à flumine usquè ad terminos Orbis terrarum. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Et his similia: quibus apprimè concordat illud Mathæi 28. *Et accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Et illud ad Colloss: 2. & estis in illo repleti, qui est Caput omnis principatus, & potestatis.* Ecce sicut antiquum Testamentum Messiam prædicit summum omnium Regem futurum, ita Evangelium prædicat *Jesum Christum* omnium potestatum Caput, & Principem esse, utpote in quo illæ antiquæ Prophetiæ completæ sunt, qui proinde

verus

verus *Messias* est. Vidimus in 1. Parte num: 12. Regnum *Messiæ* sempiternum fore. *Stabiliam thronum regni ejus in sempiternum.* 2 Regum. *Thronus ejus sicut luna perfecta in æternum.* Psal:88. *Super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud in semternum.* Isaiæ 9. *Et regnum ejus non corrumpetur.* Danielis 7. Ubi annotavimus nullum terrenum regnum posse durare in æternum, sed corrumpi debere cum intereunte mundo: quocircà regnum *Messiæ* debere esse ejus Ecclesiam, quæ cum ipso in æternum in Cælis perennatura est. *Christus Jesus Caput Ecclesiæ dicitur*, & Rex cum illo regno suo, nempè: *Ecclesia* sua in æternum regnaturus. Ad Colloss: 1. *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, ut sit in omnibus ipse Primatum tenens.* Lucæ 1. capite. *Hic erit magnus*, *nempè:* Jesus *& Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus Sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Ecclesiæ suæ Christus dicit Lucæ 22. *& ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Regnum autem hoc, sempiternum in Cælis futurum indicat; dum Joannis 18. ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo Spirituale, & sempiternum, nempè: *Ecclesia* cum ipso, in cælis perennatura. Ergo *Jesus Christus* Dei Filius tale regnum habet quale appromissum *Messiæ* vidimus num: 12. in 1. Parte, igitur *Jesus Messias* est.

Quod autem *Jesus Christus* habeat regnum

per

per totum orbem, nempè: *Ecclesiam* in omnibus gentibuus toto terrarum orbe diffusam, consulant Judæi omnium nationum historicos, in quibus reperient Evangelicam *Jesu Christi* legem, & Doctrinam, non tantùm totam Europam occupasse in Africam, & Asiam per Apostolos, & Missionarios penetrasse, ibiquè plurimas Provincias, Diæceses, & Parochias legi *Jesu Christi* subjectas esse, verùm etiam Lumen Evangelij per totam jam Americam resplenduisse; & integra Regna ibidem Fide Christiana insignita esse, ut dubium ampliùs esse non possit illa de *Messia* dicta Vaticinia in *Christo* completa esse. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ.* Isaiæ 49. *Dedi Te in fædus populi, in Lucem gentium, legem ejus insulæ expectabunt.* 42. Isaiæ. *Dedi Te in fædus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi. Omnes isti congregati sunt venerunt tibi.* Omnes in unam *Jesu Christi* veri Messiæ legem concesserunt. Misit *Jesus Christus* Apostolos suos in Lydiam, Græciam, Africam, & totum terrarum Orbem, ut Legem ejus, & Gloriam Dei annuntiarent. Mathæi ultimo. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nonne ad amussim cohærent cum iis de Messia dictis Isaiæ 66: *& mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare,*

re, in Affricam, & Lydiam tendentes ſagittam in Italiam, & Græciam, ad Inſulas longè ad eos, qui non audierunt de me, & annuntiabunt gloriam meam gentibus.

Hoc eſt illud prædictum à Prophetis, *Meſſiæ* regnũ, ad terminos terræ diffuſum, nempè: *Jeſu Chriſti Eccleſia* ex omnibus totius mundi gentibus ſub una ejus lege collecta. Tale enim regnum, & talis unicè Eccleſia poterit æternum durare, nempè: cum ex illis omnibus plurimi legem Chriſti ſervantes, & adimplentes ſalvi fient, illi conſtituent perpetuum *Chriſti* in Cælis regnum, & ipſe *Chriſtus* ex ſemine David oriundus *Servus meus David Rex ſuper eos, & paſtor unus erit omnium eorum, & Servus meus David Princeps eorum in perpetuum* (ut ait Ezechiel Propheta cap: 37.) In novo autem Teſtamento ſic illud perpetuum in electis, & Eccleſia ſua *Jeſu Chriſti* regnum deſcribitur Mathæi 25. *Cum autem venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum à Conſtitutione mundi.* Ecce habetis *Regem Meſſiam*, & regnum ejus, nempè *Eccleſiam* electorum ejus in perpetuum cùm ipſo perennaturam, prout Regnum *Meſſiæ* à Prophetis perpetuum fore præditum fuit, hinc eſt quod apertiſſimè *Eccleſiam* Joannes in Apocalypſi Cap: 4. vocat Chriſti Regnum perpetuum, dicens: *Dignus es, Domine accipere Librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & re-*

demisti nos Deo in sangvine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum, ecce quomodo *Ecclesia* ex omnibus nationibus sub una lege *Jesu Christi* congregata, Sanguine ejus redempta, ejus Regnum perpetuum sit.

Ex hucusque dictis etiam alius in *Christo Jesu* adimpletus esse cognoscitur *Messiæ* Character, nempè: quod in *ipso benedicentur omnes gentes*. Gen:. 22. Utpotè vocatæ in ejus legem, & regnum, *quod sit expectatio gentium*. Genes: 29. *Et desideratus cunctis gentibus*. Micheæ 5. Et Sexcentenis aliis in locis ubi *Messias* dicitur vocaturus ad se gentes. Apud Isaiam illuminaturus gentes doctrinâ *dedi te in lucem gentium* sicquè eas in viam salutis ducens verè earum *benedictio*, & *expectatio* fuit *Jesus Christus*.

Impletur etiam in *Christo* alia de *Messia* Prophetia apud Isaiam cap: 2. ubi *Messias* bellator dicitur (ut vidimus Num: 14. in Ima Parte;) bellator inquam spiritualibus armis idololatriam, & impios idololatras auferens. Idola penitùs auferentur, cum surrexerit percutere terram, quomodò autem percutiet terram, idem Isaias cap: 11. explicat: *percutiet* terram *virgâ oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet impium, & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*, ex his spiritualibus armis justitia, & fide pronum est colligere *Messiam* impios Idololatras, & Idololatriam interfecturum, seu sublaturum esse spiritu oris sui, prædicando ju-

stitiam

ſtitiam veram, & fidem, ac cultum verum unius Dei. Hoc autem ad amuſſim *Jeſus Chriſtus* præſtitit, qui perpetuum bellum idololatriæ indixit, atq; per ſuam Sanctam Legem, & doctrinam totum mundum ad unius veri Dei cultum adducens ſuſtulit omninò omnem de terra idololatriam. Quoniam hujus teſtis eſt totus mundus, unum teſtimonium adducam Gentilis Scriptoris Porphyrij in libr: adverſus Chriſt:Rellig: apud Euſeb: lib: 5. de præpar: Evang: cap: 1. ubi Porphyrius Gentilis confitetur: *ex quo Jeſus coli cæptus eſt, neminem ſenſiſſe publicam Deorum opem.* Imperator Conſtantinus Auguſtus ad Magdalianum Cod: Theod: lib: 16. tit: 10. ait: *Ceſſet ſuperſtitio ſacrificiorum, ſacrificiorum aboleatur inſania: nam quicunquè contra legem Divi Principis parentis noſtri, & hanc noſtræ manſvetudinis juſſionem auſus fuerit ſacrificare, competens in eum vindicta, & præſens ſententia exeratur:* Ecce quomodo ſublata eſt per Imperatores idololatria prædicato Evangelio Chriſti.

Cum ſermonem habeamus de congregatis per legem Chriſti, in unam Eccleſiam cunctis gentibus, opportunum videtur ſtatim hic de nova lege *Jeſu Chriſti* agere: quo circa ſit.

CAPUT DECIMUM.

Pluribus Prophetarum vaticiniis prædictam à Meſſia inſtituendam novam

Legem abrogatâ Mosaicâ, ostenditur Jesus Christus instituisse.

SAt perspicuè ostendimus Num: 13. 18. 20. 21. 24. & 35. in 1ma Parte, à *Messia* abrogandam esse veterem Legem Mosaicam, & novam instituendam juxta hæc Prophetarum oracula Isaiæ 2. *de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos.* Lex quæ exibit *de Sion* non est illa quæ exivit *de Sinai*, nempè Mosaica, & Lex quâ arguentur & judicabuntur gentes, non est Mosaica, quâ soli Judæi judicabantur; igitur tempore *Messiæ* nova, & alia Lex, quam erat Mosaicâ instituetur: *ad eam in Jerusalem* ait Isaias eodem loci *fluent omnes gentes.* Idem confirmat Jeremias cap: 3. *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ, & doctrinâ non dicent ultra Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra, in tempore illo vocabitur Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes.* Iterum dicuntur in Jerusalem adducendæ omnes gentes pascendæ, *Doctrinâ juxta cor Domini*, sed non doctrinâ antiquæ legis, quia *non dicent ultra Arca testamenti Domini, nec recordabuntur illius.* Si Arca testamenti non memorabitur, ergo neque Testamentum ipsum, ergo illa doctrina non erit Testamenti antiqui; Quocirca Jeremias clariùs se explicat cap: 31. Sic inducens Deum loquentem. *Feriam domui Israël,*

&

& domui Jacob fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die illa, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos dicit Dominus: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam illam Ecce tempore *Meſſiæ* novum fædus, novam legem dandam, non illam, quæ data fuit in egreſſu ex Ægypto, nempè: Moſaica, ſed alia omnino Lex gratiæ in cordibus ſcripta; Pro majori horum notitia remitto Lectorem ad Loca citata, & numeros annotatos in prima Parte, ubi etiam demonſtravimus per nomina *Iſràël, Jacob* Novum Iſràëlem, nempè: fideles Chriſti denotari, per nomen *Jeruſalem* verò *Eccleſiam Chriſti*, nempe dum dicuntur gentes adducendæ eſſe ad Jeruſalem, intelligendum eſſe gentes ad ducendas eſſe ad Legem, quæ exivit tempore *Chriſti* de *Sion*, & de *Jeruſalem*; & ad Eccleſiam Chriſti, quæ in Jeruſalem ortum habuit, & Nomine Jeruſalem ſæpè etiam ſignificatur. Quando verò Iſràëlitæ dicuntur in terram Iſràël reducendi fructibus & frugibus opimis alendi: cùm de Iſràële, & Judæis, per Prophetas Iſaiam, Jeremiam, & Amoſum, & Oſeam Deus conſtituerit, eos conterere, ut nunquam in perpetuum reſtaurentur; & de Civitate Hieruſalem, ut in ſempiternum non ædificetur in prima Parte Num: 21. & 24. hinc eſt, quod dum dicitur Iſràël reducendus eſſe in antiquam terram Iſràël, vel in Hieruſalem, id debeat intelligi de ſpirituali

terra Iſràél & ſpirituali Hieruſalem, nempè: de *Eccleſia Chriſti* & de ſpiritualibus fructibus bonorum operum; maximè cum ipſimet Judæi dicant per *Meſſiam* ſe reducendos fore ; *Meſſias* etenim non ſolum his omnibus momentis in hac ſecunda parte invictè oſtenditur veniſſe, & fuiſſe *Jeſus Chriſtus*, ſed inſuper *Meſſiam* advenisſe ſtanteTemplo Zorobabelico evidentiſſimè Judæis oſtendimus in Ima Parte num: 33. quomodo igitur poſſibile eſt, ut rationabiliter dicant ſe in Hjeruſalem, & terram ſuam reducendos eſſe à *Meſſia:* Præterea oſtendimus ipſosmet Judæos fateri in Thalmude Tract: Aboda Zara. *Sectatores Eliæ tradidiſſe: mundus ſubſiſtit ad ſex annorum millia, duobus millibus fuit inanitas, duobus millibus lex, duobus millibus dies Meſſiæ*, ergo *Meſſias* venit, quia duo millia inanitatis, & duo millia annorum Legis nempè 4. millia annorum diu tranſierunt, imò eo ipſo tempore, quo venit *Jeſus Chriſtus* ; nam *Jeſus Chriſtus* ſecundum omnes Chronologos Anno 4113. natus eſt, ergo ipſe fuit verus *Meſſias*. Juxta Sectatores Eliæ lex Moſaica duobus millibus tantũ durare debuit, poſt illos *Meſſias* ſtatim venire debebat. Igitur novam Legem *Meſſias* inſtituere debebat poſt abrogatam antiquam. *Jeſus Chriſtus* verus *Meſſias* adveniens poſt duo millia annorum inanitatis, & poſt duo alia millia annorum Legis Moſaicæ, nempè Anno 4113. natus, implevit officium *Meſſiæ*, & inſtituit novam Legem, quam Deus per Jeremiam appromiſit. Quis enim poſt

illos

illos bis mille inanitatis, & alios bis mille Annos legis Moisacæ venit alius? & legē aliquā celebrem ab omnibus acceptatam instituit? nisi *Jesus Christus* tùm temporis natus? hinc est: quod Apostolus Paulus in Epist: ad hebræos Cap: 8. Novam Legem, seu novum Testamentum *à Christo* institutum à Jeremia prædictum esserit ipsa Jeremiæ verba referens, *nunc autem melius sortitus est ministerium Christus, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus Sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utiquè secundi Locus inquireretur: vituperans enim eos dicit: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consumabo super domum Israël, & super domum Juda Testamentum novum, non secundum Testamentum, quod feci Patribus eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israël dando leges meas, in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, dicendo autem novum, veteravit prius.* Christus ipse novum testamentum se instituere indicavit his verbis Mathæi 26. *hic est enim sanguis meus novi Testamenti* & Joan: 13. *Mandatum novum do vobis*, quia verò Jeremias novum fædus dixerat scribendum in cordibus; Apostolus pariter Christi Testamentum non litera exaratum, sed spiritu asserit: *nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita, ut serviamus in Novitate Spiritus, & non in vetustate litteræ;* igitur testamentum novum non in tabulis, & litera, sed

in ſpiritu, & cordibus exaratum eſt, ſicut voluit Jeremias. Ad Corinthios 3. idem repetit Paulus: *Qui & idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti, non Littera, ſed Spiritu, littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.*

Plane, & clarè legem novam à Deo in cordibus ſcriptam aſſerit ſicut Deus apud Hieremiam de ipſa nova Lege prædixit: *in corde eorum ſcribam illam*, ſic enim Paulus ad Cor: 3. *Epiſtola* ſeu *Lex eſtis Chriſti manifeſtata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi;* & ad Corinth 2. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Chriſto, & qui unxit nos, Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in Cordibus noſtris.*

Hinc differentiam inter legem Moſaicam & legem novam Chriſti aſſignat poſt Paulum Auguſtinus lib: contra Adimantum cap: 17. *Hæc eſt breviſſima, & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum timor, & Amor, illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* Lex enim vetus, ut docent Theologi cum Sancto Thoma Doctore Angelico, præcipiebat tantum, & transgreſſores puniebat, ex ſe autem, & vi ſua non dabat gratiam, ut impleretur ex Amore, Lex autem nova Chriſti ex ſe confert gratiam, & Spiritum Sanctum, qui eſt principium Amoris, ut ex Amore tanquam Filij adoptionis legem novam impleamus, *non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore*, ſicut in Antiqua Lege inquit Apoſtolus ad Rom: 8. ſed in nova Lege, *Accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum*

in quo clamamus Abba Pater. Novam itaquè Legem gratiæ, & ſpiritus, quam juxta Hieremiam Deus in Cordibus per inhabitantem Spiritum S. ſcribere promiſit, *Jeſus Chriſtus* poſt bis mille annos inanitatis, & poſt alios bis mille Legis Moſaicæ veniens inſtituit, in ea Civitate publicè eam promulgavit, ex qua ſecundum Iſaiam promulgari, & exire debeat, nempè in Jeruſalem, *quia de Sion exibit Lex , & Verbum Domini de Jeruſalem.* Iſaiæ 2. Omnibus gentibus & populis hanc novam Legem prædicari juſſit : *euntes docete omnes gentes.* Mathæi ultimo : quia Iſaias cap:.2. dixit: *& fluent ad eam omnes gentes,* & Jeremias cap: 3. dixit ad doctrinam , ſeu legem dandam in Jeruſalem *congregabuntur omnes gentes*, quæ ad Legem antiquam nunquam pertinebant nec eam acceptabant. Igitur clariſſimè patet *Jeſum Chriſtum* eam novam Legem inſtituiſſe, quæ per *Meſſiam* ſecundum Prophetas inſtituenda erat ; ergo *Jeſus Chriſtus* verus eſt *Meſſias.*

CAPUT IImum.

In quo oſtenditur Sacerdotium, Sacrificia & Cæremonias Veteris Legis, quæ à novo Sacerdote Meſſia auferri debebant , ſublata eſſe à Jeſu Chriſto, & novum inſtitutum ab eo Sacerdotium, & Sacrificium.

In

IN 1. Parte num: 35. Sat clarè oſtendimus *Meſſiam* Sacrificia, cæremonias, & Sacerdotium Veteris Legis abrogaturum, novumquè Sacrificium, & Sacerdotium inſtituturum fore. Ex *Malachiæ cap: 1mo*, ubi Deus Judæis ait: *non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis, usquè ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, in omni loco Sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sacrificia Veteris legis de Judæorum manibus recuſat Deus ampliùs acceptare, illa Sacrificia non poterant ſecundum legem antiquam alibi offerri, niſi in ſolo Jeroſolymitano templo; ut igitur Deus ſignificaret quod antiquæ Legis Sacrificia abrogare velit, quæ in ſola Jeroſolymorum urbe offerri debebant, dicit aliud ſe eligere mundum Sacrificium *mundamquè oblationem* quæ non jam in templo Jeroſolymitano, ſed *in omni Loco* in toto terrarum Orbe offeretur. Hinc & apud Iſaiam repudiat Deus non ſolum Sacrificia Veteris Legis, verùm etiam & Cæremonias, & omnes Solemnitates cap: 1. *ne offeratis ultra Sacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi, Neòmeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram.* Si Deus ampliùs nec Sacrificia, nec Solemnitates, & Cæremonias Judæorum feret; ergo & Sacerdotium antiquæ Legis caſſabit, quia vacuum, & prorsùs inutile eſt Sacerdotium ſine Sacrificio, Cæremoniis, & Solemnitatibus: imò ipſa Lex vetus inanis, & vacua eſt ſine ipſis, utpote: quæ maxima ſui parte in Sacrificiis,

crificiis, Cæremoniis, & Solemnitatibus consistebat. Hinc est quod *Deus Messiæ Filio* suo dixit Psalm 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non jam secundũ Ordinem Leviticum, & Aaronicum, sed secundum alium ordinem, nempè: *Melchisedech* qui *Gen:* 14. panem, & vinum offerre solebat, ecce igitur *Messiam* non solum novam Legem instituturum abrogatâ vetere, sed etiam antiquum Aaronicum simul cum Lege Sacerdotium cassaturum, & novum secundum ordinem Melchisedech Sacerdotium introducturum esse. Id totum complevit *Jesus Christus* ut ait: Apostolus ad hæbr: 5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui Locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum & in alio Loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum Ordinem Melchisedech, appellatus à Deo Pontifex juxta Ordinem Melchisedech.* Quale autem *Jesus Christus* Sacrificium Deo obtulerit? Explicat Apostolus ad hebr: 7. *Talis enim decebat, ut esse nobis Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi hoc enim fecit semel se ipsum, offerendo.* Igitur Sacerdos *Jesus Xstus* seipsum Deo Patri obtulit Sacrificium pro toto mundo, dum in Cruce pro nobis omnibus mortuus est. Ante Cruentum autem hoc Corporis, & Sangvinis sui Sacrificium *Christus Jesus* incruentum

entum illud idem instituit in ultima Cæna sub speciebꝰ panis, & vini, ut adimpleret Verba psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, qui panem, & vinum Deo offerre consueverat. Sub speciebus igitur panis, & vini instituit *Christus Jesus* Sacrificium Corporis, & Sanguinis sui Mathæi 26. *Cænantibus autem eis accepit Jesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite hoc est corpus meum:* & accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: *bibite ex hoc omnes: hic est enim Sangvis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ecce Sacerdos *Messias* secundum Ordinem Melchisedech offerens sub specie panis, & vini Corpus, & Sanguinem suum Sacrificium Deo Patri in remissionem peccatorum totius mundi. Hoc idem Sacrificium sub speciebus panis, & vini jussit Apostolos quotidie, & ubiquè offerre in sui commemorationem dicens: *hoc facite in meam commemorationem.*

Hæc est igitur illa *oblatio munda* quā Deus Malachiæ 1mo, dixit: sibi offerri *in omni Loco;* Per universum enim terrarum orbem quotidie *Jesus Christus* sub speciebus panis, & vini in Missæ Sacrificio à Sacerdotibus mundissima oblatio Deo consecratur. Igitur *Jesus Christus* est verus Sacerdos *Messias* secundum Ordinem Melchisedech, prædictus à Prophetis, antiqua Sacrificia, & Sacerdotium abrogaturus, novamquè mundam oblationem introducturus. De novo Sacrificio

loquen-

loquentes, congruè ſtatim ſermonem inſtituemus *de Meſſia* occidendo, & offerendo Deo Patri in Sacrificium pro peccatis totius mundi ſit itaquè.

CAPUT 12mum.

In quo oſtenditur, omnia Vaticinia de paupertate venditione, deſpectu, vulneratione, & morte Meſſiæ impleta eſſe in Jeſu Chriſto.

IN 1. Parte Num: 19. & 34. clarè, & invictè contra verſipelles Judæos oſtendimus non duos Meſſias futuros, unum divitem, & Magnificum, alterum pauperem, & affligendum. Sed unum, & eundem *Meſſiam* ſecundùm ſuam Divinitatem, & comparatam ſibi per totum terrarum orbem Eccleſiam, Magnificum Regem eſſe; Secundum quod verò in humana natura apparuit, pauperem, affligendum, deſpectum, & occidendum fore. Oſtendimus etiam Num: 8. 19. & 34. *ad Meſſiam* pertinere omnia Vaticinia quæ hic refferremus ex antiquo teſtamento. Quò circa nonniſi ea conferemus cum iis, quæ de *Jeſu Chriſto* in Evangelio narrantur. Undè congnoſcemus ad amuſſim completa eſſe in *Chriſto Jeſu* quæ de *Meſſiæ* paſſione, & morte per Prophetas prædicta ſunt. Adeoquè *Jeſum Chriſtum* eſſe verum *Meſſiam* Oraculis Prophetarum prædictum.

1mo. In 1. Parte Num: 8. & 34. De *Meſſia*

dicitur

dicitur Psalm: 68. *Ego sum pauper & dolens.* Psal: 69. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Apud Zachariam cap: 9. *Filia Jerusalem ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator ipse pauper.*

Idem in *Jesu Christo* contigisse testatur Apost: Paulus in Epist: ad Cor: 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essètis.*

2do. In 1. Par: Num: 34. Zachariæ eodem 9. Capite *Messias* dicitur: more pauperum in Jerusalem venturus super asinam, seu pullum asinæ sedens: *Filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ.*

Id implevit *Jesus Christus* Math: 21. *Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus, & adduxerunt Asinam, & pullum & eum desuper sedere fecerunt & cum intrasset Jerosolymam commota est universa Civitas dicens: quis est hic? populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta à Nazareth Gallileæ.*

3tio. In 1. Par: Num: 34. Zachariæ 11. Capite de Messia dicitur: *& appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini.*

Nunc videamus si non ad amussim *in Jesu Christo* hoc Vaticinium impletum sit. Math: 22. *Tunc videns Judas qui eum tradidit,* nempè triginta

ta argenteis vendidit, *quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: peccavi tradens Sangvinem justum. At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris, & projectis argenteis in templo, recessit.* Ecce Vaticinium de vendito triginta argenteis *Messia*, & de iis proiectis in Templum, ad amussim completum in venditione *Jesu Christi.*

4*to* In Persona Messiæ dicitur 1. Parte Num: 5. & 8. Psalmo 2. *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christus ejus,* & Psalm 21. *Circumdederunt me canes multi, Consilium Malignantium obsedit me*, ecce in *Jesu Christo* Completum Math: 26. *Principes autem Sacerdotum, & omne Consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.*

5*to*. Isaias in 1ma Parte Num: 19. Cap: 53. de *Messia* ait: *non est species ei nequè decor, & desideravimus eum despectum, & novissimum virorum.* Nonne hæc Christo contigerunt Luc: 23. *Sprevit* seu despexit *illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba,* & Math: 27. *& expuerunt in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus, & postquam illuserunt eum, exuerunt eum chlamide:* nonne sic *Jesus* despectus, & novissimus virorum *factus est?* Idem Isaias qui *Messiam* despectum novissimumquè virorum cap: 53. dixit, cap: 50. Sic habet in Persona *Messiæ: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Unde verò Isaias

ad-

addidit cap: 53. *Non est species ei neque decor* hæc omnia in uno *Jesu Christo* apprime Completa sunt. Math: 26. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt.* Quomodo poterat in hac facie esse species vel decor?

6to. Isaias 1. Parte Num: 19. cap: 53. de Messia ait: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra:* & Psalm 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt:* nonne hæc in *Jesu Christo* effectum sortita sunt dum Joannis 19. *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus*, quæ major vulneratio, quis major dolor esse poterat?

7mo. Ostendimus in 1ma Parte Num: 8. & 34. de *Messia* dicta esse illa Psalmi 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos,* & illa Zachariæ 12. cap: *Et aspicient ad me, quem confixerunt* sicut & cap: 3tio, *& dicetur ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

Quæ exactè in *Jesu Christo* completa esse cognoscimus ex illo Joannis 20. cap: *Ille autem* nempè Thomas *dixit eis nisi videro in manibus ejus,* nempè Jesu *fixuram clavorum, & mittam manum meam in Latus ejus, non credam; Venit Jesus & dixit infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in Latus meum.* Igitur *Jesus Christus* perfossus fuit in Latere, & manus, & pedes ejus transfossæ fuerunt,

runt,

runt, (ſicut de *Meſſia* prædictum eſt) ergo Jeſus *Meſſias* prædictus eſt.

8*vo*. 1ma Par: Num: 8. & 19. de Meſſia dictum vidimus illud Pſalmi 68. *& dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*, complevit, & id *Jeſus Chriſtus* verus *Meſſias* Math: 27. *& dederunt ei Vinum bibere cum felle miſtum, & continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & dabat ei bibere.*

9*no*. 1ma Par: Num: 8. de Meſſia dicitur Pſal: 21 *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* id contigit *Jeſu Chriſto* Math: 27. *poſtquam autem Crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes.*

10*mo*. 1ma Par: 19. apud Iſaiam cap: 53. de Meſſia prædicitur: *tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt* verè in *Jeſu Chriſto* evenit Marc 15. *& cum eo crucifigunt duos Latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris & impleta eſt Scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus eſt.*

11*mo*. 1. Par: Num: 19. Eodem cap: Iſaiæ de *Meſſia* dicitur: *& ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit.* Lucæ 23. de Chriſto habetur. *Jeſus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

12*mo*. In 1. Par: Num: 19. *Meſſias* Iſaiæ eodem 53. cap: prædicitur obmuteſcens, & innocens ad occiſionem ducendus. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem ducetur?* hæc ad amuſſim implevit *Jeſus*

Chriſtus

Christus Math: 27, *& cum acusaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis quanta adversum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad ullum verbum:* & Petri 2dæ cap: 2do. *Qui cum malediceretur non maledicebat cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injustè.* Quoniam tam particularia, tamquè diversarum, & singularium circumstantiarum vaticinia *de Messia* à Prophetis prædicta, *in Jesu Christo* omnimodè impleta esse videamus, quæ in nemine alio practicata esse constat, nemo nisi lapide durior non persentiat *Jesum Christum* verum fore *Messiam* à Prophetis prædictum, & præsignatum.

CAPUT 13tium.

In quo ostenditur; ea vatitinia in Jesu Christo impleta esse, quæ prædicunt Messiam peccata hominum in se portaturum, pro eis occidendum, sua morte, suoquè sangvine homines Redempturum, & Salvaturum, peccata deleturum, justitiamq; adducturum esse.

QUæ ex antiquo Testamento adducemus Testimonia, jam in Parte prima demonstravi de *Messia* dicta esse. Unde hic cum testimoniis novi testamenti ea non nisi conferemus (sicut

& in aliis capitibus egimus) Annotatis tamen ubiq; numeris primæ partis, ſub quibus de hujusmodi teſtimoniis tractavimus; *Meſſiam* peccata hominum in ſe ſuſcepturum, ut ab illis homines liberet, & ſanet ſua morte, & ſuo ſanguine; probavimus in prima parte Num: 19no ex his Iſaiæ 53. *verè langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, ipſe vulneratus eſt propter Iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & livore ejus ſanati ſumus.*

Eadem de *Chriſto Jeſu* teſtatur Petrus Epiſtola prima cap: 2do. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in Corpore ſuo ſuper lignum. ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati eſtis.*

2do. Eodem 53. Iſaiæ cap: de *Meſſia* habetur: *propter ſcelus populi mei percuſſi eum; Juſtificabit ipſe juſtus meus multos.* Chriſtus Jeſus Math: 27. ait: *hic eſt Sangvis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

3tio. In 1. Par: Num: 26. Daniel 9. *à Meſſia* delendam iniquitatem, & adducendam juſtitiam prædicit: *ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & ungatur Sanctus Sanctorum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*

Apoſtolus Paulus de *Jeſu Chriſto* ait: ad Rom: 5. Cap. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo igitur magis nunc juſtificati in Sangvine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.*

4to. In 1. Par: num: 32. Habacuc in oratione

ſua *de Meſſia* ait: *egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Et Iſaias cap: 51. *prope eſt, juſtus meus, egreſſus eſt Salvator meus:* his concordant, quæ de *Chriſto Jeſu* Lucas ait: cap: 1. *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum;* Et illa ad Epheſeos 1. de *Chriſto Jeſu* dictis. *In quo habemus redemptionem per Sangvinem ejus remiſſionem peccatorum:* & ad Titum 2. *Exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.*

Ecce igitur quæ Prophetæ *de Meſſia* prædixerunt nempè: Iſaias *Meſſiam* portaturum peccata populi, propter ea atterendum, vulnerandum, & occidendum, nosq; ejus livore à peccatis ſanandos, per ejus mortem juſtificandos multos. Daniel verò, *à Meſſia* delendam iniquitatem, adducendam juſtitiam, ſeu remiſſionem peccatorum. Habacuc verò & alij *Meſſiam* Salvatorem in ſalutem populi venturum eſſe. Hæc omnia vidimus ex adductis novi Teſtamenti Locis ad amuſſim in *Jeſu Chriſto* completa, & effectum ſortita eſſe; igitur *Jeſus* prædictus à Prophetis *Meſſias* eſſe debuit.

CAPUT 14tum.

De cæteris Meſſiæ notis in JESU Chriſto impletis.

In

IN primis Psalmum 21mum probavimus in 1. Parte Num: 8. de *Messia* dictum esse. In hoc Psalmo de *Messia* hæc habentur. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt Labiis, & moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* De Verbo ad Verbum illusionem hanc *Christo* in Cruce pendenti Judæi struxerunt improperantes ei. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere, confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum.* Math: 27.

Eodem Psal: 21. *Messias* inducitur exclamans: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* eadem omnino Verba Jesus exspirans ingeminavit. Mathæi 27. *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* en ubiquè concordiam summam Vaticiniorum cum gestis *Jesu Christi.*

Post hæc narrat Evangelista Matth: eodem cap: 27. *à sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usquè ad horam nonam, & ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usquè deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt; Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* Hæc tam patentia, & stupenda miracula narravit, & scripsit Matthæus coram Judæis recenti adhuc memoriâ res illas tenentibus, si falsa Matthæus narrasset, utiquè statim à Judæis falsitatis, & imposturæ convictus fuisset; quod

tamèn nunquam factum eſt. Hic animum ſtupor invadit Centurionem, ad hæc miracula cum ſuis militibus *Jeſum* cognoviſſe *Dei Filium* fore, Judæos autem ipſis ſaxis duriores, hic manum *Dei* non videre. Decreto Patris æterni ſatisfacere voluit *Jeſus Chriſtus*, & mortem pro peccatis mundi ſubiit in Ligno Crucis *Jeſus Dei Filius* oblatus eſt in ara Crucis Deo Patri, *ut juſtificaret ipſe Juſtus multos.* Iſaiæ 53. Unde & Deus Pater demonſtravit in morte *Jeſu* Eum eſſe Filium ſuum, ſicut cognovit Centurio cum multis aliis. Hinc plurima ſimul in morte *Jeſu* concurrerunt miranda, & ſtupenda Divinitatem ejus demonſtrando. Cur enim in nullius alterius morte terra inſolitis motibus conquaſſata, impracticabilis defectio ſolis, mortuorum è ſepulchris reſurrectio, & veli templi nullo manus admovente ſciſſio, petrarum ſaxorumquè ſpontanea confractio? cur (inquam) ſimilia in nullius, niſi in morte *Jeſu Chriſti* facta ſunt? verè ſaxis ipſis durior omninò ſit, qui ex his non agnoſcat *Jeſum* eſſe *Dei Filium*, & promiſſum à Deo pro peccatis mundi occidendum *Meſſiam.*

In 1. Par: Num: 7. oſtendi *Meſſiæ* corpus in ſepulchro non corruptum iri, ideoquè *Meſſiam* reſurrecturum eſſe. juxta illa Pſalmi 15ti. *Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Jeſu Chriſti* corpus non vidit corruptionem, quod requieſcebat in ſpe incorruptionis, & reſurrectionis; poſt tres enim

dies

dies à ſua morte reſurrexit *Jeſus Chriſtus* è ſepulchro. Matthæi 28. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: nolite timere, Vos; ſcio enim quod Jeſum, qui Crucifixus eſt, quæritis, non eſt hic: Surrexit, ſicut dixit, venite, & videte locum, ubi poſitus erat.* Sed & Joſephus Judæus id minimè negat libr: 18. Antiq: cap: 4. *Poſt triduum enim redivivus Jeſus ipſis apparuit, cum Divini Prophetæ hæc, aliaquè innumera prodigia de eo nuntiaſſent.* Celeberrimus etiam Judæorum Doctor R. Jehuda Haccadoſch in Libr: R. Abrahami qui *ggale ratzi* hoc eſt revelans arcana inſcribitur ſic diſſerit: Poſt triduum verò anima *Meſſiæ* ad Corpus ſuum revertetur, & exibit ex illo Lapide, in quo erit ſepultus ſicut dictum eſt: Exodi 33. Ecce Locus eſt apud me ſtabis ſuper petram, cumquè tranſierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, Complevit hanc *Meſſiæ* reſurrectionem *Jeſus* poſt triduum reſurgens; igitur ipſe *Meſſias* fuit.

Vidimus etiam in 1. Parte Num: 14. *de Meſſia* dictum eſſe. Iſaiæ 11. Cap. *In die illa radix Jeſſè qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum,* hæc Prophetia eventum habet in ſepulchro *Jeſu Chriſti.* Quàm enim glorioſum ſit ſepulchrum *Jeſu*, imprimis patet ex eo, quod magnificentiſſimâ Eccleſia decoratum fuerit à Conſtantino magno Imperatore, ut reffert Euſebius in vita Conſtantini Libr; 3. quam Eccleſiam cum diruerent Saraceni ſub Hakemo Ægypti Calipha, ſcribit

Ademarus,

Ademarus, ſtatim Deo vindice fame, & gladio perierunt, Eccleſia verò à Chriſtianis reſtaurata, cujus nunc Cuſtodia Fratribus minoribus concredita eſt. Penes hoc ſepulchrum plurima in dies à Scriptoribus referuntur patrata miracula, quæ non mediocrem ei gloriam addunt. Deindè tot peregrinationis votis ex univerſa Chriſtianitate, tot etiam Principum Tutela glorioſiſſimum eſt *Jeſu Chriſti ſepulchrum*, quod glorioſum fore prædixerat Iſaias. Nunc tandem accedamus ad examinandas 70. hebdomadas Danielis, in quarum ultima *Meſſias* occidi debuit; Videamusquè ſi in ultima harum *Jeſus Chriſtus* occiſus ſit, proindequè verus *Meſſias* à Daniele prædictus haberi debeat.

CAPUT 15tum.

In quo demonſtratur Jeſum Chriſtum in ultima ſeptuaginta hebdomadarum Danielis occiſum eſſe, ideoquè prædictum à Daniele, & aliis Prophetis Meſſiam fore.

JN 1. Parte Num: 26. adduximus hoc vaticinium Danielis, & probavimus illud *de Meſſia* dictum eſſe, ſed quia appromiſimus id ipſum hoc loci uberiùs nos examinaturos fore, id circò denuò illud referemus.

Tempore Darij Medi prope finem captivitatis

70. Annorum, Daniel ex Jeremia, & Iſaia probè cognoſcens dictam captivitatem jam jam laxandam eſſe,non jam de laxanda captivitate, ſed de reſtaurandis Civitate, & templo Deum vehementèr rogat (ut patet ex Capite 9. Danielis) quo circa Deus Angelum Gabrielem ad conſolandum Danielem miſit, qui ei promiſit tùm Civitatem, cùm templum reſtauratum iri; ſed alteram Templi, & Civitatis deſolationem futuram perpetuam; conſolando tamen, tunc deſideratum *Meſſiam* adventurum, peccata deleturum, & juſtitiam ſempiternam adducturum. Quocirca falſo ait: Joſephus hic Angelum ſola próſpera Danieli auguratum eſſe. Sic Angelus Gabriel Danieli loquitur cap: 9. Danielis *ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum; Scito ergo, & animadverte ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt, & Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis*

lationis & usq; ad finem, & consummationem perseverabit desolatio.

Hoc Vaticinium *de Messia* dictum esse fatentur Primores Rabbinorum, R. Barachias in Beresith Rabba. R. Moses ben Nachman. R. Samùél, & alij: Sed quamvis negare vellent Judæi illud *de Messia* dictum esse, ipsis vaticinij verbis convincuntur. Quisnam esse potest *Sanctus Sanctorum*, id est: omnium Sanctissimus, nisi solus *Messias?* quo Sanctiorem Judæi ipsi neminem agnoscunt. *Sanctus* autem *Sanctorum* eo modo significat omnium Sanctissimum, sicut Rex Regum significat Regem omnium maximum; igitur hic nomine *Sanctus Sanctorum* indicatur *Messias*, quô nemo Sanctior est: quocirca in vaticiniis additur vox *Christus*, quæ Græcè idem significat, quòd hebraicè *Messias.* Deindè prædictus *Christus*, seù *Sanctus Sanctorum* dicitur deleturus iniquitatem, & adducturus esse justitiam sempiternam. Hoc autem soli *Messiæ* competit, utpotè, de quo Isaiæ cap: 53. in 1. Parte num: 19. dictum vidimus, *ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus, justificabit ipse justus servus meus multos.* Igitur constare debet in vaticinio Danielis prædictum esse *Messiam*, qui solus peccata delere, & justitiam sempiternam afferre potest, & qui tot in locis Salvator, & salus nostra, idcircò dictus est, 1. parte num: 18. 19. & 32, & in 2. parte Cap: 13.

Nunc singula puncta dicti Vaticinij expendamus: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super*

populum

populum tuum (o Daniel) *& super Urbem Sanctam tuam*, nempè decisæ, & definitæ sunt à Deo septuaginta hebdomadæ, in fine quarum eventura sunt: *ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.* Nempè: ut morte, & Sanguine *Messiæ* seu *Christi* deleatur iniquitas, prævaricatio, & peccatum, quod ab Adamo hucusquè in mundo regnavit,& adducatur status ille, in quo homines à peccati jugo liberati, & Deo morte *Messiæ* reconciliati, in perpetua rectitudine, & justitia vivere valeant, sicut prædictum paritèr vidimus ab Isaia 1. Parte Num:19. & 32.

Hebdomadæ autem illæ, in quarum fine ea eventura sunt, non sunt hebdomadæ mensium, aut Jubilæorum, proùt blaterant protervi quidam Judæi, sed sunt hebdomadæ annorum, utpotè quas reperimus in usu fuisse apud antiquos hebræos ex illo Levitici 25. *Numerabis tibi septem hebdomades annorum, id est: septies septem quæ simul faciunt quadraginta novem.* Unde Doctissimi Rabbini Abrabaniel,& Aben Ezra hebdomades Danielis,hebdomades annorũ esse censent in expositione capitis 9ni Danielis. Jllum etiam morem numerandi hebdomadas annorum antiquis temporibus viguisse testantur Scriptores gentiles Macrobius lib: 1. in somnium Scipionis cap: 6. *post ter septenos annos, quarta annorum hebdomas*, & Varro apud Aulum Gellium lib: 3. noctium Atticarum cap: 10. *se duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse* affirmat, id est:

octua-

octuagesimum annum.

In fine harum hebdomadarum futurum esse dicitur, ut non solum deleatur iniquitas, sed *& impleatur visio, & Prophetia.* In fonte hebræo, & versione Græca habetur: *ad sigillandam visionem, & Prophetiam*, nempè quod sigillabitur, & finietur, seù complebitur *in Messia* omnis Prophetia. *Et ungatur Sanctus Sanctorum*, nempè: regnum suum inchoabit *Messias* sicut Reges regnare incipiunt, dum unguntur.

Scito ergo & animadverte, nempè: benè attende, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, quando exibit sermo, seu edictum, seu facultas ad ædificandam iterum Jerusalem, igitur ab aliquo Rege facultas sermone dabitur, ut iterum ædificetur Jerusalem. *Ab exitu* illius *sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usquè ad Christum Ducem*, (nempè: *Messiam*) *hebdomades septem, & hebdomades sexaginga duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in Angustia temporum, & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Non frustrâ separatim ponuntur hebdomadæ septem, & seperatim hebdomadæ sexaginta duæ. Nam aliquid particulare post septem hebdomadas fieri debebat, nempè: ut innuitur ædificanda platea, & muri Civitatis; post septem autem illos ædificationis annos numerari debere hebdomadas sexaginta duas, post quas occidetur *Christus*, septem autem, & sexaginta duæ hebdomadæ faciunt sexaginta novem, ergo *Christus* occidi debuit post sexaginta novem hebdomadas

domadas Danielis; ergo in dimidio septuagesimæ; quocirca additur in Vaticinio quia *confirmabit pactum hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium:* tunc enim novum Sacrificium pro peccatis totius mundi *Christus* Deo offeretur, seu occidetur.

Nunc ergo edictum, seu facultatem ædificandæ Jerusalem ab aliquo Rege datam inquiramus, & videamus, an ab illa facultate data interfluxerint sexaginta novem hebdomadæ annorum, ita; ut in dimidio septuagesimæ occisus sit *Jesus Christus?*

Tria inveniuntur Edicta Scripto data in gratiam Judæorum; unum à Cyro Rege Persarum Lib: 1. Esdræ. Cap: 1. Secundum à Dario Histaspe Libr: 1. Esdræ Cap: 6, sed quia hæc Edicta non fuerunt pro ædificanda urbe, verùm pro instaurando duntaxat templo collata; ideò nō possunt dici *exitus sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem.* Aliud fuit datum Edictum ad instaurandam urbem Jerusalem à Rege Persarum Artaxerxe Anno ejus Regni vigesimo; sed quia ab eo pauciores Anni interfluxerunt, quam hebdomadæ septuaginta contineant, & etiam quia Scripto fuit datum, non solo sermone; ideò non cohæret cum verbis Vaticinij *ab exitu sermonis.* Ideò invenimus aliam facultatem ædificandæ urbis Jerusalem sermone datam ab eodem Artaxerxe Anno 7mo Regni sui, Libr: 1. Esdræ cap: 7. Ubi Artaxerxes Edictum quidem principaliter Esdræ dedit ad docendum Judæos Legem *Dei,*

& ad offerenda Sacrificia, sed sat superquè colligitur, etiam tunc Artaxerxem sermone, & in colloquio cum Esdra eidem dedisse facultatem muros. & Civitatem instaurandi; nam eodem Capite legitur *& dedit ei Rex omnem petitionem ejus*: Possibile autem nòn est, quod Esdras Regi familiarissimus, & instaurandæ urbis sitientissimus tunc Regem non petierit de urbe instauranda. Versu etiam 18. Ejusdem Capitis Artaxerxes legitur Esdræ dixisset: *Sed & si quid tibi, & Fratribus tuis placuerit de reliquo argento, & auro, ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.* Igitur signum est; tunc Artaxerxem Esdræ Sermone, & in colloquio concessisse etiam ædificationem urbis, siquidem beneplacito ejus, & Judæorum omnia commisit. Et quia ista facultas ædificandæ urbis non scripto, sed sermone data est, apprimè cohæret cum illis verbis Vaticinij *ab exitu sermonis*: prævidit etenim *Deus* Artaxerxem Anno 7mo. Regni sui dando omnem petitionem Esdræ, etiam sermone ei concessurum ædificandam urbem; quo circa per Angelum Danielis Cap: 9. dixit: *ab exitu sermonis*, & indicavit ab illo *exitu sermonis*, *ut ædificetur Jerusalem* numerandas esse prædictas septuaginta hebdomades.

Quod verò post hanc acceptam sermone facultatem reparandæ Urbis Judæi eam non reparaverint, ideò factum est, quia Samaritani, & alij hebræorum inimici armata manu, eos ab opere deterruerunt, atquè idcircò Anno vigesi-

mo Artaxerxis publicum accipere edictum coácti fuerunt, & nihilominùs etiam tunc à Sanaballate, & Tobia Ammanite, & aliis inimicis plurima impedimenta in ædificandis muris passi fuerunt.

Igitur *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* facti Anno 7mo Regni Artaxerxis numerari debent septuaginta Danielis hebdomadæ. Quælibet hebdomada facit 7. Annos. Septuaginta hebdomadæ faciunt Annos 490.

Sed quia *Messias*, seu *Christus* occidi debet juxta Vaticinium, in dimidio hebdomadis septuagesimæ, ab hebdomada septuagesima detrahi debent tres Anni cum dimidio, & sic ex 490. Annis manebunt 486. Igitur ab anno 7mo Regni Artaxerxis ad occisionem *Messiæ* seù *Christi* numerandi sunt Anni 486.

Eusebius in Chronico asserit: Artaxerxem Longimanum, de quo loquimur iniisse Regnum Anno primo Olympiadis septuagesimæ nonæ, seù Anno periodi Julianæ 4250, ante æram vulgarem Anno 463. Idem testatur Julius Affricanus exactissimus temporum explanator, quem Eusebius exscripsit in Chronico. Diodorus Siculus etiam Lib: II. Bibliothecæ reffert Xerxem Patrem Artaxerxis occisum fuisse Anno 4to Olympiadis septuagesimæ octavæ, ipsumquè Artaxerxem cæpisse regnare Anno sequenti, nempè: Anno primo Olympiadis, septuagesimæ nonæ; qui concurrit cum Anno Periodi Julianæ 4250; Igitur septimus Annus Regni Artaxer-

xis

xis concurrit cum Anno 3tio Olympiadis octuagesimæ, Olympias enim continet 4. Annos. Cum autem Annus septimus Regni Artaxerxis concurrat cum Anno 3tio Olympiadis octuagesimæ, concurrit cum Anno Periodi Julianæ 4256; cum Anno autem ante æram vulgarem 457.

Præterea sciendum est, æram vulgarem esse, quam *à Christo Domino nato* numeramus. Jllius Annus modo numeratur 1757. hujus æræ vulgaris, seù Christianæ, Author est *Dionysius Exiguus* Abbas. Sed juxta omnes Chronologos constat Dionysium errasse in assignando initio æræ vulgaris, nam *Jesus Christus* 4. Annis ante illam æram natus est; quòcirca Crucifixus fuit Anno æræ vulgaris 29, tunc enim attigit annum ætatis suæ 33. quòd autem *Jesus Christus* Crucifixus sit Anno ætatis suæ 33, constat: nam Lucæ 3. Cap: dicitur: *cum autem baptizaretur omnis populus, & Jesu Baptizato, & orante apertum est Cælum, & ipse Jesus erat incipiens, quasi Annorum* 30. ergo tempore sui Baptismi *Jesus* incæpit Annum ætatis Trigesimum: post Baptismum autem *Jesus* tria Paschata trium Annorum peregit, unum Joannis cap: 2do; alterum Joannis Cap: 5to. 3tium verò ante Passionem: ergo *Jesus* Trigesimo tertio Anno ætatis suæ Crucifixus est. His positis, & explicatis, nunc sic probatur, & demonstratur *Jesum Christum* Crucifixum esse in dimidio hebdomadis septuagesimæ Vaticinij Danielis.

Dimidium dictæ hebdomadis septuagesimæ (ut

ut ostendimus) est Annus 486. numeratus ab Anno septimo Regni Artaxerxis, sed *Jesus Christus* Crucifixus est Anno 486. numerato ab Anno 7mo Regni Artaxerxis, ergo *Jesus Christus* Crucifixus est in dimidio hebdomadis septuagesimæ Danielis. *Probatur Propositio minor:* Annus 7mus Regni Artaxerxis, (ut vidimus,) est Annus Periodi Julianæ 4256, sed huic Anno Periodi Julianæ 4256, si addas Annos 486, Vaticinij Danielis, habetur Annus periodi Julianæ 4742. quò *Jesus Christus* Crucifixus est, ergo *Jesus Christus* Crucifixus est in dimidio hebdomadæ septuagesimæ Danielis. *Probatur minor Propositio:* Juxta omnes Chronologos Annus 1mus æræ vulgaris est Annus 4714. Periodi Julianæ, sed si anno huic 4714. Periodi Julianæ addas Annos æræ vulgaris 29, quó *Jesus Christus* Crucifixus est, habes Annos Periodi Julianæ 4742, quó Anno finiuntur 486, Anni Vaticinij Danielis. Ergo *Jesus Christus* morte sua ad amussim adimplevit Vaticinium Danielis in dimidio hebdomadæ septuagesimæ ejus Crucifixus.

Quod idem sic brevius ostenditur: Annus 7mus Regni Artaxerxis (ut mox diximus:) est Annus periodi Julianæ 4256, ab hoc igitur Anno, usquè ad Annum 1mum æræ vulgaris, quem mox diximus juxta omnes Chronologos esse Annum Periodi Julianæ 4714, effluxerunt Anni 457, quibus si addas Annos æræ vulgaris 29, quo Anno *Jesus Christus* Crucifixus est, comperies ab Anno 7mo Artaxerxis ad obitum *Jesu Christi* inter-

interfluxiſſe Annos 486 Vaticinij; adeòquè *Chriſtum Dominum* Crucifixum eſſe in medio hebdomadis ſeptuageſimæ ſicut de *Meſſia* prædictum eſt à Daniele Propheta: hinc *Jeſum Chriſtum* verum ab omnibus *Meſſiam* agnoſci debere.

Sed & cætera omnia ejusdem Vaticinij puncta in morte *Jeſu Chriſti* completa ſunt exactiſſimè; Nam 1*mo* in hoc Vaticinio is venturus prænuntiatur, in cujus adventu ceſſabunt viſiones, & Prophetiæ; Certum autem eſt à tempore *Jeſu Chriſti* Prophetas in Synagoga ceſſaſſe (ut Judæi ipſi vel inviti fatentur:) 2*do* is prædicitur, quô occisô Civitas Jeruſalem, & Sanctuarium diſſipari debebat. At non longo poſt Chriſti mortem tempore utrumquè à Tito Veſpaſiano diſſipatum eſt, & hucusquè minimè inſtauratum. 3*tio* is prænuntiatur venturus, quô moriente deficiet hoſtia, & Sacrificium: At utrumquè poſt mortem *Jeſu* defeciſſe experiuntur Judæi, qui everſo templo Jeroſolymitano, in quo ſolo Sacrificia offerre poterant nullo amplius gaudent ſacrificio. 4*to*. Is idem prædicitur, quò mortuô futura erat in templo abominatio, deſolationis usquè ad finem, & conſummationem duratura; At id Judæi nunc oculis uſurpant, ſunt enim omnibus exoſi, patrio ſolo pulſi, diſperſi, abjecti, miſeri, extorres, ſine Patria, ſine Principe, ſine Sacerdote, ſine Sacrificio, ſine templo, ſine Propheta vagabundi. Refert *Marcellinus* Scriptor Ethnicus Imperatorem Julianum Apoſtatam voluiſſe in odium Chriſtianæ religio-
nis

nis Judæis Templum inſtaurare, ſed flammâ è fundamentis erumpente Judæos ab opere deterritos omnem recuperandi templi ſpem abjeciſſe.

Cùm enim Daniel dicto cap: 9. dicat: *erit in templo abominatio deſolationis usquè in finem, & conſummationem ſæculi*, & Iſaias 25. Cap: *poſuiſti Civitatem in Cumulum, & urbem fortem in ruinam domum alienorum, ut non ſit Civitas, & in ſempiternum non ædificetur.* Et Jeremias cap: 19. *hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum iſtum, & Civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli quod non poteſt ultra inſtaurari.* Et cum videant Judæi à morte *Jeſu Chriſti* tot jam ſæculis Civitatem, & Templum proſtrata & irreſtaurata jacere non ne hæc eſt ruina, & deſolatio in perpetuum duratura à Prophetis prædicta non alia de cauſa, niſi ob verũ *Meſſiam Jeſum Xſtum* ab ipſis occiſum, à cujus morte ea deſolatio cæpit. Cum perpetua futura ſit Jeroſolymæ,& ſtatus Judaici deſolatio,ut ex Iſaia, & Jeremia, & Daniele mox citatis conſtat, cur cæci Judæi contra expreſſa Prophetarum ſuorum Vaticinia ſe, & Civitatẽ in priſtinum ſtatum adducendos eſſe protervè ſibi. & falsò blandiuntur?

Hinc placet Judæos alloqui verbis *S. Joannis Chryſoſtomi oratione 3tia adverſus Judæos.* „Etenim ſi impoſtor erat *Jeſus* quemadmodum dicitis, Legisquè transgreſſor, par erat, ut hanc „etiam laudem ferretis, qui talem occideretis. „Nam ſi Phinees unico tantum perempto homi„ne totam Numinis iram adverſus populum exar-

„descentem sedavit, *stetit* enim inquit Scriptura
„Psalm 105. *Phinees, & placavit, & cessavit quas-*
„*satio*, tamquè multos homines eripuit ab ira
„Divina unius hominis cæde, multo magis hæc
„vobis oportuit accidere, si Legis transgressor
„erat, quem vos Crucifixistis, cur igitur, quæ-
„so? Phinees viro Legis transgressore perempto
„Justus habitus est, & Sacerdotio honoratus, vos
„autem, qvum in Crucem egistis Virum impo-
„storem ut dicitis Deoquè adversantem, quomo-
„do fit, ut non solum non feratis Laudem, &
„honorem, verùm etiam acerbiora passi sitis,
„quàm tùm, qvùm filios vestros mactaretis. An
„non istud perspicuum est etiam vehementer
„tardis, & hebetibus, quod posteaquam adver-
„sus Servatorem, ac Principem Orbis impiè egi-
„stis, talis vindicta de vobis sumpta sit.

BREVIS REFLEXIO

Super manifestatione Judæorum coram Officio Jllustrissimi ac Reverendissimi Dńi D. NICOLAI à Dębowa Gora DĘBOWSKI Episcopi Camenecensis Die 2. Mensis Augusti, Anno 1756. facta.

NOnnulli Judæi variis ex Civitatibus, & locis Regni Nostri Poloniæ congregati Thalmudistarum cæcitatem, pertinaciam, & commenta ultra ferre non valentes; coram Officio Jllustrissimi

ſimi Epiſcopi Cameneceuſis Viri Zelo Fidei,toto orbe commendati comparuerunt, ubi contra Thalmudiſtarum falſam doctrinam, ea quæ ex Scriptura Sacra ſincerè colliguntur novem Puncta publicâ manifeſtatione agnoverunt.

Brevitati ſtudere volens totam manifeſtationem opuſculo meo non inſero: Puncta tamen, quæ Judæi manifeſtantes contra Thalmudiſtas publicè agnoſcunt, operæ pretium eſſe duxi hoc loci perpendere; eo vel maximè titulo, quod ſicut libellus meus nullum omninò contra Judaicam perfidiam argumentum prætermiſit, ita omnia horum ſinceriùs veritatem confitentium Judæorum contra verſipelles Thalmudiſtas porrecta in manifeſtatione puncta in eodem meo libello ſat, ſuperq; illuſtrata maneant. Quocirca loca hic nonniſi adnotabo, quibus quodlibet Punctum fusè in libello meo pertractatum eſt; ne ſi iteratò puncta illa hic examinarem, actum agere videar.

In ea Manifeſtatione Judæi propriiſſimis DEI Nominibus *Jehova*, *Adonai*, & *Elochim* jurant ſe novem puncta firmitèr tenere, eademq; diſperſos alibi Judæos contra Thalmudiſtas confiteri.

Primum, *Secundum*, & *Quartum* Punctum dictæ Manifeſtationis Judæorum nihil peculiare, & obſervatione dignum præſefert.

Tertio autem Puncto præfatæ Manifeſtationis habetur hæc Propoſitio: *Thalmud rejiciendum, uti plenum inauditâ in Deum blasphemiâ;* Plurima certè in Thalmude abſurda reperiuntur. Sed quæ

de venturo *Messia* Rabbini in Thalmude fatentur, instar argumenti solidi contra ipsos nobis servire debent; Quocirca sic ipsos, ex seipsis in pluribus Opusculi nostri locis convincimus.

Quinto Puncto hæc habetur propositio: *Idem Deus est Trinus in Personis, quæ Personæ secundùm Divinitatem sunt individuæ.* Catholicus Theologus hanc veritatem meliùs exprimere non poterat, quam etiam nos evicimus ex antiquo Testamento *in* 1. *Parte Num:* 12. & *in* 2. *Parte cap:* 7. ubi distinctionem realem Filij à Patre, & nihilominus identitatem in natura ostendimus. Potest etiam hæc veritas probari *ex illis: Isaiæ locis num:* 17. *in* 1. *Parte* adductis; ubi Deus Pater Spiritum suum Sanctum Filio se dare asserit: Hinc Tres Personæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in una numero Divinitate reperiuntur licèt subobscurè in antiquo testamento; luce tamen Evangelij adhibita clarescunt.

Sexto Puncto ijdem Judæi fatentur: *Possibile est Deum assumere humanam naturam, & passionibus (præter peccatum) subjici.* Hanc demonstravimus *de Filio DEI in* 1. *Parte Num:* 23. & Eum Incarnatum esse *in* 2. *Parte cap:* 7. nempè: *JESUM Christum.*

Septimo Puncto docent: *Jerusalem juxta Prophetas non ædificabitur.* Hoc ob oculos Judæis posuimus in 1. parte: Num: 21. pag: 42. aliisq; in locis. *Et in* 2. *Parte Cap:* 15. *pag:* 158.

Octavo Puncto dicunt: *Messias in Scripturis promissus jam non veniet.* Nos Eum venisse stante

te adhuc templo à Zorobabele ædificato invictè ostendimus 1. *Parte Num*:33. Eumq; esse *JESUM CHRISTUM* totâ 2. *Parte*.

Nono Puncto. Confitentur: *Ipse Deus solvet maledictionem latam in Primos Parentes*, & *genus eorum*, & *hic est verus Messias incarnatus*. Hanc veritatem ostendimus *in* 1. *Parte num*: 23. Et *in* 2. *Parte cap*: 13. & 15.

EPILOGUS.

QUoniam Judæi in sua manifestatione fatentur *Messiam* amplius non venturum, utiq; ideò, quia cognoscunt Eum jam venisse; alias enim turpiter Divini Prophetæ mentiti fuissent, promittentes *Messiam* desideratissimum venturum, qui tamen nec venerit, nec venturus sit: Quod juxta Judæos ipsos impossibile est. Hinc dùm Judæi manifestantes asserunt: *Messiam* in Scripturis promissum, non jam venturum esse, signum est eos dicere velle: *Messiam* promissum jam advenisse: quod etiam nos ita invictè *in* 1. *Parte num*: 33. demonstravimus; ut nihil solidi opponere Judæi valèant. Cum autem *Messias* promissus advenerit stante adhuc Templo à Zorobabele ædificato, (ut loco mox citato ostendimus) velint, nolint, Judæi fateri debent *Messiam* illum promissum fuisse *JESUM CHRISTUM*. Jlle quippè est promissus verus *Messias*, in quo uno omnia, & singula veteris Testamenti de Messia Vaticinia ad amussim com-

pleta

pleta ſunt; Oſtendant mihi Judæi aliquem fuiſſe, præter *JESUM CHRISTUM* tempore, quo ſtetit Templum à Zorobabele ædificatum usq; ad Ejus ruinam, in quo omnia, & ſingula Prophetarum *de Meſſia* Vaticinia impleta ſunt; & ego cum ipſis Eundem, ut verum *Meſſiam* venerabor, & adorabo; Cum verò id ipſi nusquam oſtendere poſſint, ego in hoc Opuſculo meo omnia totius veteris Teſtamenti *de Meſſia* prolata Vaticinia ſolidè, & invictè oſtendi in uno *JESU CHRISTO* Templum à Zorobabele ædificatum ingreſſo ad amuſſim impleta eſſe: Ergo *JESUS CHRISTUS* promiſſus à Prophetis MESSIAS eſt, quem jam veniſſe Judæi ipſi fatentur: ergo rationabiliter Judaiſmus Convictus eſſe debet.

FINIS.

Ad M. D. Gloriam.

		Errata	*ſic Corrige.*
In Prologo		de Meſſiæ - -	de Meſſia
Pag: 3.	*ver:* 1.	Iſaiaci - - -	Iſaaci
17.	22.	quomodo poterat David aut Abraham dicere alicui: Tu es: &c:	quomodo poterat Dominus, ſeù Deus dicere Davidi, aut Abrahamo: Tu es &c:
24.	21.	Non - - -	Nam.
65.	14.	Memora - -	Memorat
66.	19.	Meſſi - - -	Meſſiam
70.	14.	Cap: 13. - -	Cap: 11.
75.	16.	Non abunde -	non aliunde
80.	2.	prædictam - -	præditam
89.	7.	Appinionem -	Appionem
96.	2.	Balaè - - -	Balac
97.	25.	Norcius - -	Noriſius
109.	23.	parirentur - -	potirentur
114.	6.	videbimus - -	vidimus
118.	1.	convinctus - -	convictus
124.	27.	præditum - -	prædictum
132.	8.	debeat - - -	debebat
138.	11.	Chriſtus - -	Chriſtum
151.	26.	poſt 7. autem illos ædificationis annos.	poſt 7. autem illas ædificationis hebdomadas.